

OPERA
LITURGICA.

SENSUS

LITTERALIS, MORALIS AC HISTORICUS

RITUUM

AC

CÆREMONIARUM MISSÆ,

AD MENTEM RUBRICARUM BREVIARII ET MISSALIS,
NECNON DECRETORUM S. R. C.

STUDIO ET OPERE

R. D. TOSSANI-JOSEPHI ROMSÉE,

PRESBYTERI, ET QUONDAM SACRORUM RITUUM IN SEMINARIO LEOBIENSI
PROFESSORIS.

EDITIO NOVA

A Sacrae Theologiæ Professore accuratè revisa, nec non vitâ Auctoris
variisque notis illustrata.

Tomus Quartus.



MECHLINÆ.

P. J. HANICQ, TYPOGR. ARCHIEP. MECHL.

CUM APPROBATIONE. — 1838.

STAVUS

LITURGICAL WORKS OF HISTORICAL

MUSEUM

CELEBRATIONARY MISSAL

AS REVISED BY THE HONORABLE SOCIETY OF THE

SECRETARY GENERAL OF THE

OF THE

R. D. BOSSAULT, JOSEPH BOSSAULT

PROPRIÉTÉ DE L'ÉDITEUR.



1994/1993
CAA 052-4
1838



PRÆFATIO

AD LECTOREM.

IN Libro, cui titulus Praxis celebrandi missam, etc., lector benevole, tantum tibi dedimus modum externè servandum in missarum celebratione; tibi deest spiritus, quo cæremoniarum observatio animetur et vivificetur. Multi equidem, tum antiqui, tum moderni, de sensibus cæremoniarum Ecclesiæ fusè scripserunt; sed primi passim omnem institutionis earum causam naturalem foràs mittentes, sensus mysticos et spirituales singulis dederunt, quos sæpè Ecclesia minimè intendit, et non rarò ita à longè quæsitos et futiles, ut lector præ fastidio libros eorum dimittat, et in pulvere derelinquat. Aliqui è contra è modernis non absque minori insulsite, imò cum majori fortè delirio, sensibus spiritualibus sacrorum rituum sic bellum indixère, ut alias eorum institutionis rationes, quàm purè naturales non agnoscant.

Tom. IV.

2

Constat tamen contra sensûs purè mystici auctores, multas cæremonias primariò et principaliter in ratione naturali esse fundatas: quare enim celebrans altare osculaturus vel genuflexurus, manus ad altare deportat, nisi commoditatis causâ? Quare vinum in calicem infusus, illum purificatorio abstergit, nisi causâ munditiei? Quare dicturus Dominus vobiscum, Orate fratres, se vertit ad populum; nisi quia eum alloquitur, et urbanitas habet ut personas, quibuscum agimus, facie ad faciem alloquamur? et ita de aliis multis cæremoniis, ut videre est in corpore hujus operis.

Constat deindè contra patronos sensûs purè literalis, seu naturalis, plures cæremonias sensum habere tantùm spirituales: nam ad quid cruces formantur supra Species jam consecratas? Hujus profectò nulla ratio naturalis reddi potest, sed tantùm spiritualis; id enim fit ad significandum idem esse in altari corpus quod in cruce pependit, et eundem sanguinem, qui ex illa effusus est. Ad quid signatur pollice textus evangelii, nisi ad innuendum doctrinam Christi è cruce traxisse virtutem, quâ mundum convertit, etc.? Hinc liquet neutrum ex his systematibus admitti posse.

Recedentes ergo in hoc opere ab his extremitatibus, conabimur dare litteræ et spiritui cæremoniarum unicuique quod suum est. Quando cæremonia præ se feret causam suæ institutionis physicam, super illam erigemus; quando purè symbolicam, illi inhæ-

rebimus ; quando autem naturalem simul et spiritua-
 lem , quod frequentissimè accidit , utramque re-
 feremus.

*Hoc medium quæsivit, et attigisse videtur [Petrus
 Lebrun, sed opere prolixo, ac tot notis et cita-
 tionibus onusto, ut mens lectoris necessariò grave-
 tur ; aliundè opus illud omni laude dignum gallicè
 est typis mandatam ; adeoque in his partibus, et
 alibi inutile multis, quibus idioma gallicum omninò
 est alienum.*

*Hâc potissimùm ratione motus, duxi opus ela-
 boratum linguâ latinâ, in quo sensus precum ac
 cæremoniarum missæ, necnon harum et illarum
 antiquitas panderentur, gratum ac pretiosum fore
 omnibus altarium ministris. Porrò ad majorem ma-
 teriæ claritatem, et ad tollendam in animo lectoris
 continuas sensûs interruptiones, notas, quæ paucæ
 sunt ac breves, extra corpus operis supposui, pari-
 ter et citationes in gratiam eorum, qui in fonte
 res videre desiderant. Præsens opus abbreviando
 studui ; ut omnibus adesset facultas sibi illud com-
 parandi, simul et tempus volvendi : præcavi tamen
 ne hæreret intra limites simplicis compendii, in quo
 multa ordinariè prætermittuntur, aut ita succinctè
 enarrantur, ut obscuritas necessariò sermonem in-
 ficiat.*

*Præmonendum etiam hîc censeo lectorem, me
 hæc non scripsisse in gratiam doctorum illorum,
 qui in rebus etiam divinis fastum eloquentiæ mun-
 danæ requirunt, et persuabilia humanæ scientiæ*

verba, sed eorum, qui in Domino instrui cupiunt, quibusque magis placet sermonis simplicitas, modò simul adsint lumen et veritas, quàm omnes eloquentiæ flores cum æquivocationibus et obscuritatibus, quibus lectorum mentes obnubilantur et obruuntur.

Accipe igitur, lector benevole, hoc opusculum, et erudire in iis, quæ sacri sunt ministerii; decet enim sacerdotem scire quid, et quo fine in altari agat. Quinimò in caractere ordinis obligatio hujus scientiæ involvitur, ac in sacris Paginis non semel, sed pluries inculcatur: scriptum quippe est: Labia sacerdotis custodient scientiam, et in alio loco: Quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi. Ast qui inter clericos hujus scientiæ debitum in se agnoscunt? Eheu! in professione armorum, duces et milites applicatione arduâ in omnibus, quæ ad sui statum respectivè pertinent, se perficiunt, et indè ordo ille mirabilis in eorum castris, stationibus, et motibus: unum iota, aut unus apex non præterit à lege militari, quin omnia exactissimè fiant. Advocati, medici, pictores, aliique opifices animum eruditionis et æmulationis non rarò perducunt usque ad invidiam et odium in eos, quos sibi in arte superiores apprehendunt. Soli sacerdotes, dico in amaritudine animæ meæ, et in confusionem gentis nostræ, soli sacerdotes in crassa et damnabili sacrorum rituum ignorantia quietè in finem vitæ insordescunt: multi enim inter illos nesciunt officium sacerdotum, et multò plures sunt, qui eorundem rituum rationes penitùs ignorant, coram Altissimo

ministrantes sicut equi et muli, quibus non est intellectus, quique interrogati quare hoc et illud in altari agant, muti hærent, non absque stupore in fidelibus, qui in ministris Ecclesiæ debitam officii sacerdotalis scientiam supponunt. Et undè tantus torpor in personis cultui divino unice consecratis? Re maturè discussâ, ortum ducit et nascitur è defectu legitimæ vocationis, sine qua non pauci temerariè irruunt in sanctuarium, et portas illius ferreas infringunt. Ut causa hæc pateat, brevis reflexio super natura legitimæ vocationis sufficit. Quid enim est legitima vocatio, nisi immissus à Deo in cor alicujus amor statûs clericalis, et omnium, quæ ad illius decorem spectant? proindèque indifferentia quævis erga ritus sacros, quibus cultus Dei promovetur, pietas fidelium excitatur, ac divina mysteria hominibus veneranda prædicantur, et quorum observatio sacerdotibus creditur, in ipsis evidenter defectum vocationis arguit.

Unicum, lector venerande, tibi subest medium in reparationem hujus defectus, nempe prosecutio scientiæ ritualis: tolle, lege codices ecclesiasticos de sacris ritibus et cæremoniis tractantes; tolle simul, et lege eorundem explanationes, et ne desinas, donec ad summum dictæ scientiæ perveneris.

Ast in vanum loquor, nisi adfuerit omnipotens cordium Dominus ad illa è sopore suscitanda; emitte igitur, quæso, Domine, Spiritum de quo dixisti (Act. 2.): Effundam de Spiritu meo in omnem

2..

carnem, et prophetabunt filii vestri et filiæ vestræ, et juvenes vestri visiones videbunt, et seniores vestri somnia somniabunt. *Emitte illum de sede majestatis tuæ, et creabuntur in sanctuario novi homines ardentes in studio sacrarum cæremoniarum, et fideles in earum exercitio. Emitte illum, et renovabis faciem terræ sacerdotalis, undè pulsus procul torporibus, neglectibus et ignorantibus, ibi splendido cum cæremoniarum apparatu divina perficientur mysteria.*

Restat, ut vota perferam ad venerandos in Domino lectores, unam petii ab eis, hanc requiram in mercedem et præmium hujus operis, nempe, ut sub incruento missæ sacrificio mei meminerint.

SENSUS

LITTERALIS, MORALIS AC HISTORICUS

RITUUM

AC

CÆREMONIARUM MISSÆ.

Hoc opus dividetur in duo capita : in primo agemus de nonnullis spectantibus ad liturgiam sacram ; et in secundo explanabimus ritus ac cæremonias missæ à principio in finem. His accedet appendix de ritibus et cæremoniis variantibus à Romanis, in ordinibus Carthusianorum, Carmelitarum calceatorum et Fratrum Prædicatorum in celebratione missæ.

CAPUT PRIMUM.

DE NONNULLIS SPECTANTIBUS AD LITURGIAM

SACRAM.

Hoc caput materiam sequentem complectetur. In primo illius articulo referentur præcipui auctores qui de rebus liturgicis scripserunt. In

secundo agetur de libris liturgicis. In tertio de verbo *missa*, et varia missæ divisione. In quarto de usu luminis. In quinto de usu thuris. In sexto de campanis. In septimo de præparationibus ad missam.

ARTICULUS PRIMUS.

De præcipuis auctoribus qui in res liturgicas scripserunt.

ALCUINUS (*Flaccus Albinus*) Ecclesiæ Eboracensis in Anglia diaconus, profectus in Galliam sub *Carolo Magno*, cujus magister fuit, composuit librum, cui titulus *Officia per ferias*, in quo psalmi cum hymnis, litanis et orationibus, singulis hebdomadæ diebus assignantur. Assignavit quoque, juxta *Durandum*, (1) rogatu ejusdem *Caroli Magni*, singulis hebdomadæ diebus quasdam missas, scilicet feriâ 1.^â de Trinitate. 2.^â De sapientia. 3.^â De Spiritu sancto. 4.^â De charitate. 5.^â De Angelis. 6.^â De cruce. 7.^â De Beata. Mortuus est in Abbatia S. Martini Turonensis, de qua erat provisus 19. Maii 804. Hic auctor secernendus est ab alio ignoto, cujus opus *de divinis officiis* sæculo XII prodiit sub nomine *Alcuini Eboracensis*, et qui citatur ab auctoribus *Alcuinus falsus*.

Amalarius Metensis Ecclesiæ diaconus vixit sæculo IX, et composuit quatuor libros de officio ecclesiastico, necnon tractatum in antiphonale Romanum. Primus habetur, qui ordinem Romanum explanavit.

(1) Lib. 4. Ration. cap. 1. n. 28.

Bocquillot (Lazarus Andreas) ortum duxit Abal-
lone in Burgundia. E milite factus est advoca-
tus, ex advocato clericus, ac successivè pastor
et canonicus. Volumen in-8.º scripsit de liturgia.
Hoc volumen gallici idiomatis à doctis magni
appretiatur. Mortuus est in loco nativitatis 22
Sept. 1728.

Bona (Joannes) natus Montevici (*Mondovi*) in
Pedemontio 10 Octobris 1609, mortuus est 27
Octob. 1674, ætatis 65; professus est in ordine
Cisterciensi, ac deindè à Clem. IX anno 1669 in-
ter cardinales recensitus. Inter varia pietatis ope-
ra, tractatum de divina psalmodia, et librum de
rebus liturgicis composuit.

Devert (Claudius) lucem vidit Parisiis 4 Octob.
1645: professus in ordine Cluniacensi, varia offi-
ciorum genera successivè replevit. Obiit 1 Maii
1701; gravi et molesto labore 4 tomos gallicè
scriptos composuit, in quibus, excluso penitèns
omni sensu morali seu spirituali, cujuslibet cæ-
remoniaè sacrificii rationem litteralem quærit, et
benè vel malè invenit. In illius opera plures in-
surrexerunt, et varias ejus assertiones confutâ-
runt (1). Interim non diffitendum, quin hoc opus
multa curiosa contineat; ideòque inter libros do-
ctorum locum habet.

Durandus (Guillelmus) Gallo-provincialis, do-
ctor Bononiensis, et postremùm Episcopus Mima-
tensis, Romæ mortuus est 1 Novembris 1296.
Scripsit opus in octo libros distributum, cui ti-
tulus *Rationale divinorum officiorum*. Hoc opus

(1) Videri potest præfatio *Petri Lebrun*, ad tomum de cæ-
rem. missæ, ubi evertit nonnulla hujus auctoris systemata.

continet farraginem sensuum mysticorum, quos mens auctoris fœcunda peperit quosque omnibus ritibus et cæremoniis ecclesiasticis adaptat. Undè dici potest, quòd si auctor præcedens nimiùm literæ cæremoniarum inhærens erraverit, ita hic ultra modum quærens earumdem spiritum defecerit. Citatur tamen frequenter ab auctoribus, quia in illius libris multæ sunt rationes solidæ, vanis aliis et futilibus permixtæ.

Gavantus (*Bartholomæus*) rubricistarum quasi pater et patriarcha, natus est Mediolani anno 1569. Ibidem ingressus est congregationem clericorum regularium vulgò Barnabitarum. In ea professus ità meritis fulsit, ut minister generalis fuerit electus. Interea consultor cong. sac. rit. renunciatus, totum se dedit explanationi sac. rit. et cærem. Ecclesiæ, ac commentatus est rubricas missalis et breviarii Romani; composuit quoque manuale episcoporum, et tractatum de synodo diœcesana. Incredibile est quantum hujus auctoris opera per orbem christianum fuerint diffusa, et quantâ aviditate pia clericorum curiositas illa devoraverit; hujus testes mihi sunt multiplicatæ hujus commentarii reimpressiones. Obiit Mediolani pridie festi assumptæ Virginis, anno 1638, ætatis verò 68: hæc ultima fuerunt illius verba, digna profectò rituum magistro: cùm minister extremæ-unctionis præ inadvertentia aut perturbatione palmas manuum vellet inungere, dixit illi: *Dorsum manûs sacerdotibus fas est illinire.*

Grancolas (*Joannes*) doctor sacræ theologiæ in facultate parisiensi multa gallicè scripsit de rebus liturgicis: 1.º Tractatum de antiquitate cæremoniarum ad sacramenta spectantium. 2.º Alium de

liturgiis. 3.^o Antiquum ecclesiæ sacramentarium.
 4.^o Commentarium historicum in breviarium Romanum. Hoc ultimum opus inter alia magni appretiat. Hic auctor Parisiis ortus, ibidem extinctus est 1 Aug. 1732.

Innocentius III antè *Lotharius* Anagninæ (parva urbs est in agro Romano) natus est è comitibus Signinæ, Pontifex creatus est raro exemplo ætatis anno 57. Inter varias productiones, insigne volumen dedit de sacro altaris mysterio, undè rubricistæ frequenter hauriunt. Mortuus est Perusii, 19 Julii 1216, pontificatûs anno 18, mense 6, die 28.

Lambertini (*Prosper*) natus est Bononiæ anno 1675. A *Benedicto XIII.* creatus est cardinalis 1728. Successit *Clementi XII* in pontificatum 17 Aug. 1740 : obiit 1758, pontificatûs 18 et ætatis 85. Inter multos eruditionis suæ fructus, quibus Ecclesiam ditavit, numerantur duo tomi de Festis Domini et gloriosæ Matris illius, ac duo alii de sacrificio missæ, ubi tractat de cæremoniis illius et ritibus.

Lebrun (*Petrus*) Brinoniæ in Provincia intrâ Galliam ortus est. Congregationem PP. Oratorii ingressus, totus incubuit historiæ cæremoniarum Ecclesiæ, produxitque de iis plures libros gallicè scriptos, inter quos emicat is cui titulus : *Explicatio litteralis, historica et dogmatica cæremoniarum missæ, ex antiquis auctoribus, et monumentis plurimarum ecclesiarum ; cum dissertationibus et notis in loca difficiliora, et originem rituum.* Mirâ dexterritate et ingenio hic auctor præcavet ab excessibus, in quos cecidère *Claudius Devert* et *Guillelmus Durandus* ; non enim errat cum primo, fin-

gendo in quavis cæremonia sensum litteralem, nec cum secundo, iisdem tribuendo solùm sensum mysticum et spiritualem; verùm justo iudicio literæ et spiritui suum tribuit. Ex hoc celebri opere colligemus quidquid piæ clericorum curiositati favere potest: mortuus est *P. Lebrun* Parisiis 6 Junii 1729.

Mabillon (*Joannes*) natus in diœcesi Remensi 1652, habitum S. Benedicti Remis in congregatione S. Mauri 1653 assumpsit; ætatis suæ anno 75 Parisiis mortuus est 27 Dec. 1707. Opera ipsius ad præsentem materiam spectantia sunt duo: primum intitulatur *Liturgia Gallicana*; secundum est disertatio in usum panis azymi.

Martene (*Edmundus*) in diœcesi Lingonensi in Gallia ortus est 1654. Professus est Remis in ordine S. Benedicti 8 Sept. 1672, et Parisiis mortuus 20 Junii 1759. Multa scripsit de rebus liturgicis: 1.º Tractatum de antiquis monachorum ritibus, 2 vol. in-4to. 2.º Tractatum de antiquis Ecclesiæ ritibus, 3 vol. in-4to. 3.º Tractatum de antiqua Ecclesiæ disciplina, in divinis celebrandis officiis. Hæc et alia multa, quæ auctor genuit, maximum laborem et profundissimam illius eruditionem testantur.

Merati (*Cajetanus Maria*) clericus regularis natus Venetiis tertio nonas Decembris 1668. Opus *Gavanti* in rubricas missalis et breviarii Romani novis accessionibus et criticis observationibus eleganter illustravit. Ejus opera primò Romæ fuerunt typis mandata in 4 tomis in-4to: deindè Colonix in 2 ejusdem formæ, et tandem Augustæ-Vindelicorum in 2 tomis in-4.º; item ibidem 2 tom. in-folio. Hæc, quâ utor, editio aliis prævalet,

quia præcedentibus accesserunt non modò decreta nova, sed et illi insertum est totum *Gavanti* opus.

Talu (*Spiridion*) collectionem composuit omnium decretorum sac. rit. Cong., quibus interdum subjecit breves notas. Hoc opus, quod parvo volumine in-12.^o continetur, impresso primò Venetiis, deindè Romæ, tertiò Augustæ-Vindelicorum, et tum Coloniae, perutile foret, si notæ essent paulò magis extensæ. In impressione Romana, Coloniensi, et Augustana inveniuntur decreta sac. rit. Congreg. usque ad annum 1759 inclusivè. In hæc decreta eruditè scripsit R. P. *Joannes Michaël Cavalieri* Bergomas ordinis Eremitarum S. Augustini. Ejus opera volumine in-folio continentur, suntque dicata summo Pontifici Benedicto XIV. In illis tota explanatur liturgia Romana, sed major ordo in distributione materiarum desideratur.

Præter memoratos auctores, alii multi sunt, qui piè affecti erga cæremonias ecclesiasticas, de iis scripserunt; sed quorum mentionem non licet aggredi in opere quod, quantum in nobis erit, coarctare intendimus. Interim in corpore hujus operis, nonnullorum ex ipsis, dum citabuntur, brevem notitiam subjiciemus.

ARTICULUS II.

De libris liturgicis.

I. LITURGIA nomen Græcum est, quod componitur his duabus vocibus *leiton*, quod idem sonat ac publicum, et *ergon*, id est, officium;

Tom. IV.

adeoque liturgia et officium publicum in idem redeunt; cùm autem missæ sacrificium sit opus in Ecclesia celebrius et publicissimum, ideo liturgia principaliter illud afficit: hinc dicitur liturgia *S. Jacobi*, *S. Basilii*, *S. Chrysostomi*, id est, ordo servandus in celebratione missæ ab iis qui ritum *S. Jacobi*, vel *S. Basilii*, etc. sequuntur (1); indèque libri, qui de cæremoniis missæ tractant, liturgici vocantur, et eorum auctores liturgistæ.

II. In libris liturgicis leges servandæ ab iis qui rei sacræ vacant, continentur, et *rubricæ* dicuntur, à rubro scilicet, quo inscribuntur, et ita tituli et institutiones legum olim terrâ rubrâ imprimebantur, quæ indè *leges rubræ* dicebantur (2). Rubricæ ergo, juxta præsens institutum, nihil aliud sunt, quàm leges ab Ecclesia conditæ ad celebrationem missæ et divini officii, necnon ad administrationem sacramentorum, quæque nomen sortiuntur à colore rubro quem lectoribus offerunt in missalibus, breviariis, et aliis libris Ecclesiæ.

III. Rubricæ aliæ sunt præceptivæ, aliæ directivæ tantum. Primæ important obligationem, et quidem, ore omnium, de se sub gravi, quando nimirum materia, circa quam versantur, est notabilis. Aliæ tantum proponunt aliquid per modum consilii aut indulgentiæ: ut autem rubricæ directivæ censeantur, necesse est ut ratio consilii vel indulgentiæ in iis imbibatur, prout accidit in sequentibus: 1.º In Psalmis, versibus

(1) Cardinalis *Bona*, rer. liturg. lib. 1. c. 5. n. 5.

(2) *Perlege rubras majorum leges*, Juven. Sat. 14.

et orationibus, quæ sacerdotibus in missali proponuntur per modum præparationis ad missam, quia habetur *pro opportunitate sacerdotis*, quibus verbis obligatio stricta eliditur. 2.º In missis votivis, quæ certis anni diebus permittuntur pro uniuscujusque devotione. 3.º In collectis, quas interdum celebrans pro suo libitu aliis superaddere potest. 4.º In psalmis gradualibus, pœnitentialibus, et officio parvo B. M. V. ac defunctorum, pro quorum recitatione certis diebus proponuntur indulgentiæ. Præter has et paucas alias, omnes rubricæ sunt præceptivæ, seu obligatoriæ.

IV. Rubricæ pro objecto ritus et cæremonias habent. Ad ponendam essentialem inter ritus et cæremonias differentiam, inter se discordes sunt auctores, sed prætermisissis eorum rationibus, cum *Merati* (1) sequentem statuimus differentiam, nempe quòd ritus sint preces, quæ in celebratione missæ, et divini officii, ac administratione sacramentorum præscribuntur recitandæ: undè libri, qui in sacramentorum collatione legenda continent, ritualia dicuntur. Cæremoniæ verò sunt gestus, et alii motus, qui concomitantur verborum prolationem; hinc liber, in quo sunt præcisè gestus episcopi celebrantis aut aliud ministerium exequentis, cæremoniale episcoporum vocatur. Ritus tamen non rarò apud auctores latius sumitur; scilicet non solùm pro precibus, sed et pro gestibus; hinc dicitur ritus Latinus, ritus Græcus, ritus Mozarabicus, etc., ubi verbum ritus importat non modò officium, sed et modum

(1) P. 1. Observ. prælim. n. 1.



officii. De his ritibus, quorum sæpè sit mentio apud auctores, verbum videtur hic apponendum.

V. Ritus Latinus seu Romanus, ille est qui viget in Ecclesia Occidentali, quique continetur in sacramentariis, antiphonariis et ordinibus Romanis.

Sacramentarium liber est, in quo olim continebantur preces, quas episcopi et sacerdotes in missa et sacramentis recitabant; sed successu temporis, ea quæ ad episcopos spectant, libro particulari fuerunt inserta, et *pontificale* jam dicitur; ea verò quæ afficiunt simplices sacerdotes sub missa, in missali habentur, et quæ eosdem tangunt sub sacramentorum administratione, in ritualibus seu manualibus includuntur.

Antiphonarium aliàs tantùm comprehendebat ea quæ sub missa in choro cantabantur, hocque nomen ab introïtu desumebat, cui titulus erat *antiphona* ad introïtum, undè antiphonale. Verùm à multo tempore liber, qui cantanda infra missam continet, *graduale*, qui verò cantanda in aliis officiis, *antiphonale* dicitur.

Ordo Romanus (1) liber erat continens modum missæ, et divini officii pro præcipuis anni diebus, præsertim pro quatuor ultimis feriis hebdomadæ majoris, et octavâ Paschæ: hic ordo passus est varias additiones, et indè varii ordines Romani (2), qui, à tempore quo extiterunt, dicuntur ordo primus, ordo secundus, tertius,

(1) Ordinem Romanum Coloniae anno 1561 primus excudi curavit *Georgius Casander*: in scripto tamen habebatur à pluribus sæculis.

(2) Quindecim refert *Mabillon* *Musei Italici* tome 2.

etc., his substitutum est pro episcopis *cæremoniale episcoporum*, in quo inveniuntur omnia quæ agere debent, pariter et eorum ministri in missa, divino officio et aliis functionibus. Quoad simplices sacerdotes, ea quæ jam ad eos spectant sub missa, habentur in rubricis tum generalibus, tum particularibus missalis Romani, sub officio autem, in rubricis breviarii, et quandò accidit dubium super illis, ad *cæremoniale Episcoporum* sæpè et utiliter recurri potest. Si verò dubium rubricis vel *cæremoniali* solvi nequeat, tandem recurrendum est ad tribunal sacrorum rituum, cui competit rubricas explanare, et genuinum sensum illis assignare: porrò sac. rit. Congr. Romæ sedet, fuitque à S. Pio V erecta. In bullario Romano, constitutione 74 illi quinque cardinales præfecit, sed jam eorum numerus pendet ab arbitrio Papæ, qui plures alios eis adjungit; nam actualiter componitur ex quibusdam prælatis quorum unus est Cong. secretarius (1), item ex pluribus religiosis theologiæ professoribus, magistro Palatii, sacristâ Papæ et uno vel pluribus ejusdem magistris *cæremoniarum* (2).

VI. *Ritus Græcus* viget in Ecclesia Orientali, dividiturque in quatuor species, scilicet in ritum *S. Basilii*, *S. Jacobi*, *S. Chrysostomi* et *S. Gregorii*. Juxta hujus ultimi ritum, officium est longè aliis brevius. Quoad ritum *S. Jacobi*, officium juxta illum est ita longum, ut solummodò, si quibusdam credatur auctoribus, locum habeat in festo ejusdem apostoli.

(1) Ita Cardinalis de Luca, in relatione Curiae Romanæ, Disc. 18.

(2) Van Espen. jur. eccles. part. 1. tit. 22. cap. 9. n. 1. et 2.

VII. *Ritus Mozarabicus* viguit in Hispaniis ab initio sæculi VIII, usque ad finem XI, id est, usque ad tempora *Gregorii VII*, qui illum non absque magna difficultate extinxit. Porrò hoc officium dictum est *Mozarabicum* sequenti occasione. Cùm Arabes Hispaniam ferè omnem occupassent, christiani cum illis confusi *Mixtarabes*, et corrupto vocabulo *Mozarabes* fuerunt appellati, id est, mixti cum Arabibus, et indè eorundem liturgia *Mozarabica*. Ne tamen tantæ antiquitatis officium omninò interiret, *Franciscus Ximènes*, cardinalis et archiepiscopus Toletanus anno 1500 missale Mozarabicum recudi jussit, collegiumque instituit sacerdotum, à quibus divina officia, in sacello quod in majori Ecclesia Toletana erexit, usque in præsentem diem ritu illo celebrantur (1).

VIII. Præter hos in Ecclesia ritus famosiores, multæ diœceses ritus sibi proprios conservârunt, ut Leodiensis, Mediolanensis, Parisiensis, etc. Pariter nonnulli ordines liturgiam et officium particulare habent, ut Carthusiani, FF. Prædicatores et Carmelitæ calceati, quorum specialem in hoc opere mentionem faciemus.

ARTICULUS III.

De vocabulo missa, et varia missæ divisione.

I. SACRIFICIUM novæ legis *missa* vocatur, sed undè nomen illud mutuaverit, non omnes conveniunt. Aliqui illud deducunt à verbo Hebraico

(1) *Van Espen*, jur. eccl. univ. pag. 2. sect. I. tit. 5. cap. 1. XVII. et seq.

Missach, de quo *Deut.* 16, quodque oblationem significat: ita *Baronius* (1) et *Pontas* (2). *Albaspinæus* verò Aureliensis episcopus (3) à voce *mes*, quæ apud Septentrionales, conventum, festivitatem et etiam sacrificium importat. Verùm, cum communissima sententia, dicimus derivari à verbo latino *mittere*. Hoc ut capiatur, sciendum est quòd in primitiva Ecclesia post lectionem evangelii diaconus à cœtu fidelium catechumenos et publicos peccatores mitteret. Item in fine missæ idem minister populum dimittebat, quod et nunc practicatur per verba *ite, missa est*. Porrò ab hac utraque missione sacrificium dictum est *missio*, seu per levem inflexionem *missa*, prout dicitur *remissa* pro *remissio*, *oblata* pro *oblatio*: ita advertit *Bossuet* (4). Cùm autem ex supradictis in sacrificio duplex fuerit *missio*, à qua nomen sortitur, ideò non rarò dicitur de eo qui semel celebravit, quòd *missas* fecerit, vel *missarum* solemnia.

II. Sed quæri potest, quare tantum mysterium à tam modica sui parte nomen desumat? 1.º Ut fideles tempore persecutionis ad illud hoc verbo abscondito se convocantes, conventus coram infidelibus absconderent, sicque eorum furorem declinarent. 2.º Ut in mentibus fidelium imprimeretur debitum sanctitatis, quâcum adesse debebant sacrificio, quod non noscebant, nisi sub nomine *missæ*, seu ejectionis indignorum ab illius participatione.

(1) Ad annum Christi 34. n. 59.

(2) Verbo *Messe*.

(3) Lib. 2. cap. 5.

(4) Explication de quelques difficultés sur les prières de la Messe, ch. 2.

III. Hic ad intelligentiam auctorum antiquorum adverti potest, verbum *missa* etiam olim non tantum significasse sacrificium novæ legis, sed et festa et officia Sanctorum : undè in capitulis regum Galliæ festum *SS. Martini, Joannis et Remigii* dicitur *missa S. Martini, S. Joannis et S. Remigii*, sed circa hanc applicationem non est difficultas ; cum enim festa præsertim missarum solemnibus celebrentur, festa faciliè nomine missæ denominari potuerunt. Verùm quomodò sacrum illud nomen transire potuit ad nundinas? In quibusdam quippe auctoribus nundinæ *missa* dicuntur, v. g. *missa Argentinensis, missa Francofurtensis*, etc. Ut hæc difficultas solvatur, descendendum est ad originem nundinarum. Olim enim dum festum patroni, dedicationis ecclesiæ, vel alia sollemnis festivitas habebatur, ad festum illud è tota vicinia populus confluebat, tum ut assisteret divinis officiis, tum ut illa cantaret; faciebat etiam oblationes ex animalibus, seu ex rebus comestibilibus in gratiam ecclesiæ vel ministrorum. Finitis autem officiis, amici et consanguinei piè et sanctè in Domino epulabantur : porrò ad hoc annonam necessariam secum adferre debebant, vel saltem illam emere ab iis qui in commoditatem advenarum animalia et comestibilia illuc advehebant. Hujus vestigia cernimus in festo dedicationis ecclesiæ et patroni, sub quo nundinæ in multis locis hodie dùm instituuntur. His positis, videtur quomodò olim nundinæ *missa* dici potuerint ; cum enim pro objecto primitus officium seu missam alicujus festivitatis haberent, nomen missæ indè sumpserunt. Sed fatendum quòd si nomen missæ olim nundinis convenerit,

jam iisdem denominandis minimè conveniat. Nam cum olim spiritu pietatis et religionis, ad nundinas fideles traherentur, nunc spiritu avaritiæ, injustitiæ, gulæ et aliorum vitiorum trahuntur, sic ut religio nullam in illis ampliùs partem habeat; quæ consequenter iis sacrum missæ nomen ampliùs commodare nequit.

IV. Missa dividitur in solemnem et privatam. Prima, juxta *Merati* (1), in communi sensu dicitur illa, quæ omnem solemnitatem habet cantus, thuris, ministrorum sacrorum, earumque cæremoniarum, quas præscribunt rubricæ. Ex his sequitur missam non esse solemnem, quando desunt ministri, vel fit sine thurificatione; adeoque missam parochialem in die Paschatis à parochio cantatam sine ministris solemnem non esse, quod admitti nequit: undè meliùs, cum *Van Espen* (2), missa solennis illa est, quæ fit cum cantu et quodam apparatu, id est, vel cum frequentatione populi, vel cum thurificatione aut cum diacono et subdiacono. Hanc *Merati* (3) vocat mediam; adeoque à ratione missæ solennis eam penitus non excludit. Nec hæc quæstio est de solo nomine; quia missæ solenni quædam specialiter competunt et inter alia in missis festi secundæ classis solemnibus non fit commemoratio simplicis, quæ in aliis admittitur (4).

V. Privata illa est, quæ privatim, et sine cantu, uno dumtaxat ministrante clerico, sive in

(1) Observ. prælim. n. 33.

(2) P. 2. Sect. I. tit. 15. de cels. miss., cap. 5. n. 2.

(3) Loco suprâ citato, n. 33.

(4) Rub. gen. miss. de comm., tit. 7. n. 1.

ecclesia, sive in oratorio celebratur. Hæc privata dicitur per oppositionem ad cantum, non verò ad publicitatem. Talis ergo missa est verè publica, quatenùs fit à ministro publico, et pro universa Ecclesia, admittitque conventum fidelium; sic ut sit per accidens, si nemo præter ministrum illi intersit. Adde quòd celebrans omnia dicat sub illa in plurali *Dominus vobiscum*; *Orate fratres*, etc.

VI. Quamvis Christus sacrificium ut actum publicum et solemnem instituerit, tamen nil vetat praxim missarum privatarum; imò illam suadet perpetua Ecclesiæ traditio; de ea quippe loquuntur SS. *Ambrosius* et *Augustinus*. Verùm primis Ecclesiæ sæculis, rariores erant, et solum sub sæculo octavo communiores factæ sunt. Hac super re videri potest *Bocquillot*, qui de missa privata eruditè scripsit (1).

VII. Missa ulteriùs dividitur in realem, siccam, et præsanctificatorum. Realis est, in qua specierum consecratio fit et communio. Sicca, in qua non habetur consecratio, nec communio. Sic fiebat, juxta *Durandum* (2): *Potest, inquit, sacerdos, acceptâ stolâ, epistolam et evangelium legere, et dicere orationem dominicam, et dare benedictionem: quinimò si ex devotione, et non ex superstitione velit totum officium missæ sine sacrificio dicere, accipiat omnes vestes sacerdotales, et missam suo ordine celebret usque ad finem offerendæ, dimittens secreta, quæ ad sacrificium pertinent. Præfationem verò dicere potest, licèt in eadem*

(1) Tract. historico-liturg. cap. 7.

(2) Ration., lib. 4. cap. 1. n. 25.

videantur Angeli invocari ad consecrationem corporis et sanguinis Christi. De canone verò nihil dicat, sed orationem dominicam non prætermittat, et quæ sequuntur sub silentio dicenda non dicat: calicem et hostiam non habeat: nec de his, quæ super calicem seu eucharistiam dicuntur vel fiunt, aliquid dicat vel faciat. Potest etiam dicere pax Domini sit semper, etc., et exindè missæ officium suo ordine peragat. Hæc missa olim fiebat tempore navigationis, quando scilicet ob periculum effusionis non licebat celebrare; et indè etiam *nautica* dicitur. Narrat *Guillelmus de Naugiaco* monachus, in lib. gest. *S. Ludovici*, religioissimum illum regem, cùm è transmarinis partibus in Galliam rediret, missam siccam sibi procurasse. Idem de eodem testatur *Gaufridus* in illius vita, scilicet quòd captivus apud Saracenos eidem missæ interesset. Deindè hæc missa olim fiebat in gratiam eorum qui manè sacrificio integro adesse non poterant, pariter in consolationem infirmorum, necnon pro defunctis, quando circa vesperam sepeliebantur (1).

VIII. Utrùm autem usus talium missarum unquam fuerit licitus, lis est inter auctores. Stant pro affirmativa *Durandus*, *Genebrardus*, *Quarti* et *Merati*, quibus absolutè non contradicit *Collet*, doctor Sorbonicus. Argumenta pro se desumunt, tum ex Sacerdotali Romano sub Leone X edito, in quo (2) legitur: *In loco fluctuanti... celebrare (missam ordinariam) non licet alicui; consuevit tamen in mari pro populorum devotione absque conse-*

(1) *Genebrardus*, de liturg. apost. cap. 50.

(2) *Idem*, de liturg. apost., cap. 47.

cratione missa dici per sacerdotem : tum ex praxi priorum et etiam sanctorum, qui tales missas celebraverunt, vel sibi procuraverunt.

Pro negativa verò inter alios numerantur Cardinalis Bona (1), Sylvius (2), Natalis Alexander (3), Estius (4), quibus accedit Benedictus XIV. (5). Horum argumenta summatim sunt sequentia : 1.^o Missa sicca est pura simulatio veri sacrificii, adeoque illicita, præsertim cùm indè periculum immineat rudi populo, qui non satis distinguit inter umbram, et rerum realitatem. 2.^o Re diligenter discussâ, eam improbârunt antistites Belgici decretis synodalibus, scilicet Rythovius, episcopus Iprensis; Curtius, Brugensis; Jansenius, Gandavensis, et omnes scholæ Lovaniensis in sacra theologia magistri et professores; adversariis autem respondetur magis esse adhærendum decisionibus synodalibus et toti scholæ Lovaniensi, ubi res fuit maturè perpensa, quàm Sacerdotali Romano, et paucis ritualibus, cùm juxta *Estium*, loco citato, Sacerdotale Romanum sit privati hominis, nec à Romana Ecclesia approbatum. Manualia quoque ecclesiarum particularium, si quas hujusmodi missas præscribant, pariter non ab episcopis edita fuerunt, nec approbata, sed fortè, illis dormientibus, ab eorum vicariis per imperitiam parochis diocesanis obtrusa.

IX. Carthusiani aliquam hujus missæ speciem retinent : legunt enim quotidie in suis respective

(1) *Rer. liturg.*, lib. I. cap. 15.

(2) *P. 3. q. 83. art. 2. ad finem.*

(3) *Theol. Dogm.*, lib. 2. cap. 6. art. 5. de sacr. Euchar.

(4) *Oratione 15.*

(5) *De Sacrif. Miss.*, Sect. 2. §. 48.

cubiculis, missam de Beata, quæ componitur ex introitu *salve, sancta parens, kyrie eleison, gloria in excelsis*, collectâ *concede, alleluia* vel tractu post epistolam *ab initio*, evangelio *extollens*, offertorio *ave, Maria*, communione *beata viscera*, postcommunione *gratiam tuam, benedicamus Domino*, et evangelio S. Joannis *in principio*, quibus subjungunt antiphonam cum tribus orationibus. In adventu ponunt introitum *rorate*, cum orationibus, epistola et evangelio propriis. Verùm nihil in hac missa reprehensibile, quia illam non celebrant in altari, nec induuntur vestibus sacris; ita ut sit simplex oratio quotidiana ab ipsis fundenda, licet in eorum libris inscribatur *missa de Beata*.

X. Missa præsanctificatorum est missa improprie dicta, quatenus in illa non fit consecratio, sed tantum communicatio cum hostia aliquo die præcedente consecrata. Hæc invenitur instituta in synodo Laodicensi (1); in ea quippe fuit sancitum in quadragesima non oportere panem offerre, nisi in sabbatis et dominicis. Idem fuit confirmatum in concilio Trullono (2), sub sola exceptione festi annuntiationis B. M. V., in quo missa celebrari potest. Hunc ritum tenet Ecclesia Orientalis, Græci enim dominicis quadragesimæ præter panem sacrificii quinque alios consecrant in communionem dierum sequentium: undè singulis diebus sub vesperam, ad quam protrahunt jejunium, præmissis psalmis, lectionibus et orationibus, unam ex præfatis hostiis sumunt (3).

(1) Canone 49.

(2) Canone 52.

(3) Ordinem hujus missæ refert. P. Goar, in Euchologio.

Latini unum tantum hujus missæ vestigium conservârunt, nempe feriâ vj majoris hebdomadæ.

ARTICULUS IV.

De usu luminis.

I. PRIMIS Ecclesiæ sæculis, dum in antris et cryptis metu persecutionum, vel tempore noctis sacra fiebant mysteria et divina officia, necessitate naturali, ad expellendas locorum istorum tenebras, lumen adhibebatur, et eâdem ratione tempore noctis ad officium in choro cereos accendimus. Sed de hoc lumine non est hic sermo: tantum agitur de cereis, qui in altari, vel coram statuis, aut in funeribus defunctorum, etc., citra necessitatem tempore sacrificii, seu divini officii accenduntur; circa quod quæritur de hujus luminis origine et rationibus.

II. *Claudius Devert* more suo quærens, et in omnibus inveniens causas purè naturales, hic nullam aliam admittit, quàm usum primitivæ Ecclesiæ; cùm, inquit, primi fideles ad celebranda divina officia in obscuris lumen adhiberent, ex inveterata consuetudine accensi sunt in Ecclesiis per diem cerei, uti ante in cryptis accendebantur. Sed facilè hujus auctoris, et quorundam aliorum ei adhærentium systema destruitur: constat enim, datâ Ecclesiæ pace, officia divina fuisse solâ luce solis celebrata: ita ut consuetudo cantandi officia cum lumine cessaverit, et consequenter usum modernum luminis per diem gignere non potuerit. Quòd autem

officia divina absque lumine celebrata olim fuerint, constat testimonio *S. Hieronymi*; nam refutans *Vigilantium*, qui superstitiosos dicebat Christianos, eò quòd clarâ luce cereos super tumbas martyrum accenderent, sic ait (1): *Cereos autem non clarâ luce accendimus, sicuti frustrâ calumniaris, sed ut noctis tenebras hoc solatio temperemus, et vigilemus ad lumen, ne cæci tecum dormiamus in tenebris.* Tempore tamen *S. Hieronymi*, id est, sæculo IV, deferebantur faces ad evangelium, sed ob rationes mox tangendas.

III. Interim non est diffitendum, quin in certis casibus Ecclesia lumen adhibeat ex inveterata consuetudine primorum fidelium, et ita cereus Paschalis est vestigium columnæ cereæ, quam de nocte in vigilia Paschatis primi fideles accendebant. Pariter cerei qui in triangulo accenduntur sub matutinis in ultimo hebdomadæ majoris triduo, originem ducunt ex candelis quæ olim erant suspensæ in choro vel dispersæ supra trabem sub officiis nocturnis horum dierum, et quæ successivè extinguebantur eâ proportione quâ dies elucescebat: hâc super re videri possunt, quæ diximus in Praxi divini officii (2): non mirum autem quòd Ecclesia ritum veterem sub his officiis servaverit, quia sunt verè nocturna, et quidem olim de nocte celebrata, ac solo usu paulatim adducta ad lucem præcedentem; ita ut naturale fuerit conservare ritus antiquos eorundem officiorum: sed quoad varios usus luminis, qui surrexerunt post sæculum IV, cau-

(1) Epist. adversus *Vigilantium*.

(2) Art. 14. §. 2. n. 1, et art. 11. n. 4.

sam habent in rationibus moralibus et purè symbolicis, de quibus jam per partes et sigillatim.

IV. Sub sacrificio et divinis officiis cerei accenduntur, tum ad lætitiã et devotionem in fidelibus excitandã : undè in solemnitatibus major cereorum numerus ardere solet.; tum in signum et typum Christi, qui lux est illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; tum in honorem sacrorum mysteriorum.

Ad evangelium antiquissimo ritu lumen defertur, non tantum in honorem verbi Dei, sed et ad significandum Dei verbum esse lumen, quo illustrati ad terminum perennis vitæ feliciter tendimus : *per totas Orientis Ecclesias*, inquit S. Hieronymus, loco citato, *quando evangelium legendum est, accenduntur luminaria jam sole rutilante, non utique ad fugandas tenebras, sed ad signum lætitiæ demonstrandum.... ut sub typo luminis corporalis, illa lux ostendatur de qua in psalterio legimus : Lucerna pedibus meis verbum tuum, Domine, et lumen semitis meis.*

V. Quandonam usus cereorum in officiis diurnis vigere cœperit? Præcisè non constat; scimus tantum ex testimonio S. Hieronymi, qui floruit sub fine tertii sæculi et sub initio quarti, lumen ad evangelium deferri consuevisse; cùmque de hoc ritu loquatur, tamquam de re communiter practicata, inferri potest quòd fortè tunc vigeret à longo tempore. De lumine autem adhibito infra missam, sermonem facit S. Isidorus (1) qui floruit circa finem sexti sæculi et initio sequentis; sed loquitur tantum de candelabris quæ ab acolythis ab

(1) Origin., lib. 7. cap. 12.

initio ad finem sacrificii sustinebantur. *Acolythi*, inquit, *græcè*, *latinè ceroserarii*, dicuntur à *deportandis cereis*, quando evangelium legendum est, aut sacrificium offerendum: tunc enim accenduntur ab eis, et deportantur. Successu temporis, commodius visum est candelabra cum cereis in mensam altaris deponere, et cereos accendere, non solum infra missam, sed et infra officia.

VI. Ritu antiquissimo cadavera mortuorum cereis seu facibus circumdantur, et cum multis luminaribus ad locum sepulturæ deducuntur: sic enim *Constantinus* imperator fuit tumulatus (1). Porrò his luminaribus significatur mortuos lucis filios fuisse, et in lumine fidei exspirasse.

Deferuntur faces in processionibus in honorem SS. Sacramenti, seu Sanctorum, quorum statuæ deportantur; simul et in homagium pro injuriis Deo à nobis illatis: undè hoc animo fideles processionibus interesse debent, abstinentes ab omni risu, confabulatione et irreverentia.

Lampas accenditur in templis, in quibus asservatur SS. Sacramentum, non præcisè ut indè lumen assumatur ad accendendos cereos, dum opus est, sed potissimum in honorem sacrosanctæ Eucharistiæ in tabernaculo latitantis.

VII. Circa lampadem adverti oportet, ex generali Ecclesiæ consuetudine, quæ habet vim legis, in omnibus templis, ubi asservatur SS. Sacramentum, esse accendendam, sic ut diu noctuque ardeat. Idque sub gravi, juxta communem sententiam; nisi magna ecclesiæ paupertas excuset. Hinc ecclesiarum rectores illam ardentem pro

(1) *Eusebius*, *vita Constant.*, lib. 4, Cap. 66.

viribus nutrire tenentur; subtractio enim voluntaria hujus luminis per diem integrum, multorum judicio (1), sufficit ad mortale. Dixi: *nisi magna ecclesiæ paupertas excuset*; quia tunc, cum desit medium ad observationem legis, consequenter non amplius ligat. Cavendum tamen ne potius ex avaritia, quàm ex vera et reali paupertate id accidat: omnis quippe parcimonia in iis quæ ad honorem Dei spectant, in ministris ecclesiæ damnabilis est.

ARTICULUS V.

De usu thuris.

I. THURIS crematio est ultimæ antiquitatis, non tantum in vera religione, sed et apud paganos et infideles. In veteri Lege (2), Deo jubente, erat altare specialiter exstructum ad immolandum singulis diebus manè et vespere thymiama; id est, incensum suavissimi odoris: et apud omnes gentes receptum est, ut diis suis thus offerant, indeque est quod poëtæ *thuris honores* dicant divinos honores; indeque etiam est quod Magi thus Christo ut Deo obtulerint. Non mirum igitur, si Ecclesia cæremoniam olim à Deo institutam et ipsi placentem tum in officiis, tum in sacrificio missæ practicandam decreverit.

II. Quando autem decretum illud fuerit emanatum, non ita constat. Quidam (3) usum thuris

(1) *Quarti*, p. 1. tit. 20. dub. 11. pag. 150. quem citat, et sequitur *Collet*, in examine difficultatum, quæ occurrunt in celeb. sac. myst. in fine.

(2) Exodi 30.

(3) Inter hos *Petrus Lebrun*, de cær. miss., art. 9. n. 1.

primis Ecclesiæ sæculis non viguisse autumant ex his *Tertulliani* verbis, Apol. c. 42. *Thura planè non emimus: si Arabi queruntur, scient Sabbæi pluris et carioris, suas merces Christianis sepeliendis profligari, quàm diis fumigandis.* Hoc est, quòd Christiani, majores, emendo aromata in sepulturam mortuorum, expensas faciant quàm pagani emendo thura in gratiam deorum suorum. Et ibidem cap. 30, addit: *nos puram precem offerimus Deo, non grana thuris unius assis, non arabicæ arboris lacrymas.* His si fides adhibeatur, profectò thus non erat in usu temporibus *Tertulliani*; idque, juxta aliquos, ne Christiani cum paganis et infidelibus, qui diis suis magnam incensi copiam prodigebant, communicare viderentur.

III. Nihilominùs, tenendum est sub sacris mysteriis thus ab exordio Ecclesiæ adhibitum fuisse; nam canone IV, qui apostolis tribuitur, et inter legitimos computatur, sic statutum est: *Offerri non liceat ad altare præter novas spicas, uvas, et oleum ad luminaria et thymiama, id est, incensum tempore quo sancta celebratur oblatio.* Idem confirmatur auctoritate *Hippolyti*, qui tractans de consummatione mundi, ait: *Lugebunt etiam ecclesiæ luctu magno, quia nec oblatio, nec suffitus fiet.* Ubi apertè supponit suo tempore et *Tertulliani*, id est sæculo III, suffitum seu thurificationem viguisse. Idem quoque habet *S. Ambrosius* (1). Proindèque sub horum testimoniis infumum abire debet auctoritas *Tertulliani*, præsertim cùm sibi ipsi non concordet in præsentifacto: nam in alio loco (2) admittit usum thu-

(1) In cap. 1. Lucæ.

(2) Lib. de corona, cap. 11.

ris; de eo quippe loquens ait: *Non eodem ritu, nec eodem habitu, nec eodem apparatu, quo agitur apud idola, thus scilicet offerimus, ubi manifestè thuris usum supponit.*

IV. Causam hujus cæremoniae refundit *Claudius Devert* in foetorem antrorum, in quibus primi Christiani sacra faciebant, ad quem depellendum thus cremabatur. Sed in hoc supposito, satis fuisset foculos accendere, et incensum suprà injicere, nec thus à ministris sacris offerri debuisset; cùm autem non probet tunc temporis thurificationem non fuisse sacram cæremoniam, nec ministris Ecclesiae propriam, ipsius systema stat totum super mera conjectura.

V. Verius ergo dicitur Ecclesiam, ritu Judæorum, et omnium gentium edoctam, ab ipsis Ecclesiae incunabulis thus sub sacris mysteriis tanquam cæremoniam sacram adhibuisse ob sequentes rationes:

1.º Thuris crematione significatur, quomodò in servitio Dei corda fidelium igne charitatis consumi debeant.

2.º Repræsentatur in thure Christi bonus odor, de quo scriptum est: *In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.* Sicut ergo incensum per totam Ecclesiam fumum spargit, et bonum odorem; ita Christus in fideles gratias suas spargit, quibus mens eorum intus recreatur, ut olfactus bono thuris odore, ita *S. Dionysius* (1).

3.º Cùm thus sit symbolum orationis, juxta illud Ps. 140: *Dirigatur, Domine, oratio mea,*

(1) Hierarchiæ eccles. cap. 3 et 4.

sicut incensum in conspectu tuo (quæ verba ponuntur in ore sacerdotis sub missa crucem incensantis), indè innuitur, quòd, uti thus in fumum non abit odoriferum, nisi igne cremetur, ita preces nostræ ad Deum in odorem suavitatis ascendere nequeant, nisi igne charitatis et devotionis coquantur.

4.^o Tandem thus figurat orationes sanctorum, prout expressè refertur Apocalyp. cap. 5. v. 8: *Vigintiquatuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas et phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Et iterùm cap. 8. v. 3. et 4. *Et alius Angelus venit, et stetit ante altare habens thuribulum aureum, et data sunt ei incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei, et ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coram Deo.* In hoc autem supposito, dum incensamus Sanctos, ipsis supplicamus ut nobiscum et pro nobis Deum exorent, votaue nostra in conspectu ejus offerant; dum verò SS. Sacramentum, crucem, aut altare Christum figurans, petimus, ut hic magni consilii Angelus pro nobis Patrem interpellat, nostrasque preces illi offerat, et suâ potenti meditatione gratas et efficaces efficiat.

Ex his, facilè thurificationum variarum, quæ sub missa et officio fiunt, ratio reddi potest. Vide dicta tom. II, de missa solemn., part. 3, art. I, n. II. et III.

ARTICULUS VI.

De campanis.

I. CAMPANAS primis Ecclesiæ sæculis non fuisse, ex silentio omnium auctorum evincitur. Quo autem signo fuerint fideles ad sacra tunc convocati, non ita certum est. Quidam campanas fingunt ligneas, quarum sonitu populus christianus ad sacra excitabatur mysteria. Verùm de his etiam apud antiquissimos auctores silentium. Deindè gravissimæ persecutiones, quibus Christiani tunc temporis impetebantur, omnem strepitum in congregatione populi interdicere videbantur; si enim in antris ob metum molestationis sacrificare cogentur, quantò magis in convocatione populi ab omni strepitu abstinebant.

II. Attentâ hâc Ecclesiæ nascentis circumstantiâ seu persecutione, quâ à paganis comprimebatur, longè plausibiliùs dici potest fideles clanculùm per cursorem ad sacra convocatos fuisse, prout aliquo modo nunc ad exequias convocantur, vel saltem presbyter populum dimittens, illi locum et horam conventûs proximè sequentis designabat, prout etiam nunc practicatur, quando aliquod officium extraordinarium celebrari debet.

III. Pace datâ Ecclesiæ, adinventâ sunt instrumenta, et successu temporis campanæ ad convocandum populum. Campanarum institutio communiter tribuitur *S. Paulino* Nolæ in Campania episcopo, qui natus est anno 353, indèque, id est, à loco inventionis, hæc instrumenta nomen sortiri videntur: *campanæ*, inquit *Duran-*

mus (1), sunt vasa ænea in Nola civitate Campania primò inventa; majora itaque campanæ à Campania regione, minora verò nolæ à nola civitate dicuntur. Sed, ut rectè advertit *Bocquillot* (2), campanæ fuerunt tardiùs inventæ; nam in amplissima descriptione ecclesiæ suæ cathedralis et ornamentorum ipsius, quam *S. Paulinus* ad *Severum Sulpitium* misit, horum instrumentorum nulla fuit mentio: porrò si tunc exstitissent, et maximè, si eorum fuisset auctor, profectò de iis verbum fecisset. Præterea de iis silent omnes auctores quarti et [sequentium sæculorum. Primus omnium, qui de illis sermonem habuit, fuit *Venerabilis Beda* (3), sub initio sæculi VIII; undè concludit citatus auctor campanas circa illud tempus, id est, circa finem sæculi VII, fuisse inventas. Antea autem, secundùm eundem, populus in aliquibus locis sono cornu et buccinæ convocabatur, de quibus fit mentio in regula *S. Pachonii* (4) et apud *S. Climacum* (5). Et verosimile est id etiam apud aliquot alios locum habuisse. In aliis verò locis fideles congregabantur strepitu tabulæ lignæ cum malleo. Hoc instrumento hodièdùm utuntur Græci qui sub imperatore *Turcarum* degunt (6); ejusdemque usus frequens in domibus religiosorum, ad excitandos fratres, instante horâ officii.

(1) Lib. 1. cap. 4. n. 1.

(2) Lib. 2. cap. 6.

(3) Lib. 4. cap. 25.

(4) Cap. 3.

(5) Grad. 19.

(6) In Turcia usus campanarum est prohibitus Christianis, ita *Tavernier*.

Sæculo autem VI et initio saltem VII, fit mentio apud auctores illius ætatis tintinnabulorum, id est, campanularum quæ manu agitabantur, vel laminarum ferrearum, seu vasorum æneorum, quorum percussione sonus excitabatur, et quibus tandem successerunt campanæ: porrò ut ab his sonus emitteretur longius, postea erectæ sunt turres cum cacumine, in cujus summitate plantatur vexillum crucis, ad innuendum ædificium Christo esse dicatum; ibidemque locatur gallus æneus et versatilis, non modò ad signandas ventorum inflexiones, sed ad rationem moralem; significat enim quâ de causâ campanæ pulsantur, nempe ad convocandos ad ecclesiam fideles: nam sicuti gallus cantu suo lucem propinquam præcinit, et somnolentos ad laborem excitat; ita eundem effectum sonitu suo campanæ producant. Præterea ponitur, juxta *Durandum* (1), gallus in summitate turrium ad instructionem pastorum, quatenus eis incumbit ex officio peccatores in somno peccati immersos excitare, et lumen veritatis æternæ eisdem infundere, juxta illud Scripturæ: *clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam et annuntia populo meo scelera eorum* (2); et in alio loco: *euntes, docete omnes gentes* (3).

IV. Quamvis campanæ primâ sui institutione ad finem naturalem inventæ sint, nempe ad convocandum ad ecclesiam populum: tamen postquam solemnî ritu fuerunt consecratæ, ad altiores fines etiam fuerunt elevatæ, et 1.º ad

(1) Lib. 1. cap. 4. n. 1.

(2) Isaïæ 58.

(3) Matth. 28.

laudandum Deum. Habent enim piam vocem, sicut instrumenta musices, quâ Dei gloriam enarrant: hoc fine pulsantur infra consecrationem missæ solemnæ, infra processiones, sub hymno *Te Deum* quando in gratiarum actionem solemniter cantatur, infra hymnum angelicum feriâ V, et sabbato majoris hebdomadæ, etc.

2. Pulsantur pro defunctis tono lugubri; tum ut ad orandum pro ipsis fideles excitentur; tum ut residui super terram moriendi necessitatem recogitent; tum etiam ad sublevamen mortuorum: nihil enim obstat quin ad misericordiam erga mortuos Deus commoveatur, quando audit vocem campanarum multis precibus consecratarum.

3.° Pulsantur contra tempestates, ut earum virtute fulgura et tonitrua dissipentur. Sed rectè aliqui observant ab earum pulsatione esse cessandum, quando tonitru terræ vicinum est, quia æris sonitus naturaliter illud attrahit. Nec hæc præcautio spiritum diffidentiae præ se fert, quia sono campanarum non semper et infallibiliter effectum Deus concedit; proindèque actus est prudentiæ.

4.° Pulsantur ad excitandam lætitiâ in animis; et indè major campanarum percussio infra festivitates et solemnitates.

5.° Tandem pulsari utiliter possunt contra morbos, tum corporales, tum spirituales. De his fit mentio sub campanarum benedictione; petit enim illius minister: *ut per illius tactum et sonitum fideles invitentur ad ecclesiam, et ad præmium supernum, et cum melodia illius auribus insonuerit populorum, procul pellantur omnes insidiæ inimici, fragor grandinum, procella turbinum,*

impetus tempestatum, temperentur infesta tonitrua; ventorum flamina fiant salubriter ac moderatè suspensa, etc., et in alia sequenti oratione supplicat, ut *dum hujus vasculi sonitus transierit per nubila, ecclesiæ tuæ conventum manus conservet angelica, fruges, credentium mentes et corpora salvet protectione sempiternâ*. Breviter effectus qui campanis tribui solent, describuntur in his duobus carminibus.

Laudo Deum verum, plebem voco, dissipo ventum,
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro.

V. Campanæ, antequam in campanili suspendantur, benedici seu consecrari debent. Quidam hujus benedictionis institutionem *Joanni XIII* tribuunt sub anno 972, sed constat esse antiquiorem, cum de ea *Alcuinus* loquatur, qui sæculo VIII floruit, et quidem ut de re usitata. Interim jam exstat præceptum (1) de non suspendendis campanis, nisi prius benedictæ fuerint. Porrò hæc benedictio sat est solemnis, statque in multis psalmis et orationibus, in ablutione et unctione instrumenti; ei imponitur nomen alicujus Sancti, qui sonum illius apud Deum sustineat, ut efficacius effectus suos referat. Tandem adhibentur campanæ patrini, indèque hæc benedictio baptismus dicitur; sed ut attendenti patet, in proprio et lato sensu, pertinetque de jure ad episcopos, qui tamen illius actum simplici sacerdoti committere possunt. Quædam etiam dignitates hoc jus sibi vindicant, et, nemine contradicente, eo utuntur.

(1) In conc. Tolosano, anno 1590, et in rit. Leod., tit. *Benedictio signi vel campanæ*.

VI. Circa usum campanarum solemniter ritu sacratarum, adverti necesse est non esse pulsandas nisi ad finem sacrum: tamen in praxi receptum est, ut in signum lætitiæ communis pulsentur, dum quis ad dignitatem, sive ecclesiasticam, sive civilem promovetur; sed finem spirituale præ se ferre videtur, cum bonum religionis pendeat à bonis superioribus, tum ecclesiasticis, tum civilibus. Verum absque profanationis specie pulsari nequeunt ob promotionem aliquam ad officia minora, quæ parum aut nihil conducunt ad bonum Ecclesiæ. Usu etiam receptum est, ut pulsentur ad congreganda membra communitatis in casu incendii, sed motivum est spirituale, nempe charitas; vel quando est deliberandum de negotiis publicis, licet temporalibus tantum; et in hoc postremo casu excusare potest necessitas, dum scilicet deest aliud medium, quo populus congregetur.

ARTICULUS VII.

De præparationibus ad missam.

I. MISSALE Romanum (1) sic de iis habet: *Sacerdos celebraturus... saltem matutino* (2) *cum lau-*

(1) De præp. sacerdot., n. 1.

(2) Preces, quæ ad Deum ab Ecclesia nocte funduntur, olim nocturnum seu nocturna, à tempore quo fiebant, dicebantur, vel vigiliæ: quia orantes expergefatos supponebant: ex quo autem ad accessum lucis communiter persolvuntur, officium nocturnum, à tempore quo jam cantatur dictum est matutinum ut tamen idea servetur praxis antiquæ quæ matutinum divisim cantabatur, nempe prima pars in prima noctis vigilia, quæ tres primas post solis occasum noctis horas complectebatur, secunda et tertia in sequentibus vigiliis, et tandem laudes in

dibus absoluto, orationi aliquantulum vacet et orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat; ubi in duobus præsertim præparationes constituuntur; nempe in lectione matutini, et in oratione superaddita. Quoad lectionem matutini, omni tempore ut præparatio ad missam habita fuit: undè primis Ecclesiæ sæculis in festivitibus nox dividebatur in quatuor vigiliis, quarum quælibet tres horas complectebatur; in tribus autem primis vigiliis, tria successivè nocturna matutini ponebantur, et in quarta laudes: Habeant, inquit Amalarius (1), finem tres stationes vigiliarum, per quas ternas horas divisæ et exercitatae sunt, et in quarta oriente lucifero. Imò diebus dominicis, quibus sacra celebrabantur mysteria, idem observabatur: hinc legimus cœnobitas, per hebdomadam dispersos ad laborem, sacra mysteria frequentandi causâ, dominicis olim in unum convenisse: porrò ad communionem se parabant vicibus distinctis, divinas laudes per noctem cantando. De noctibus dominicæ, inquit Cassianus (2), monachi eas noctes in partitis di-

quarta vigilia noctis; in breviario matutinum de festis dividitur in partes quatuor, quarum prima primum nocturnum intitulatur, duæ verò sequentes, secundum et tertium nocturnum, quibus accedunt ut olim laudes. Imò in novissimis missalibus et breviariis Ecclesiæ Parisiensis, matutinum vocabulo antiquo nocturnum dicitur; in consuetudinibus autem Carthusianorum à *Guignone* priore et generali quinto scriptis, officium nocturnum, quamvis de nocte totum ab ipsis solvatur, nihilominus matutinum vocatur, ut scilicet in voce cum aliis concordent vel saltem quia precibus nocturnis jungunt preces matutinas, nempe laudes, à quibus officium illud denominari potest matutinum.

(1) Lib. 4. cap. 9.

(2) Lib. 5. cap. 5.

stinguunt officiis. Eadem praxis, scilicet præmittendi matutinum celebrationi, ita strictè ligat in quibusdam locis, ut non sit fas episcopo missarum solemniam agere, nisi precibus matutinis adfuerit (1).

II. Lectio igitur matutini usu antiquissimo habita fuit in officio publico, ut præparatio ad missam solemnem, et eâdem ratione, ut talis haberi debet respectu missæ privatæ: hinc inter defectus missæ ponitur, *si celebrans saltem matutinum cum laudibus non dixerit* (2). Quale autem sit peccatum, non lecto matutino, missam legere? Imprimis peccatum esse mortale, communiter admittitur, si ante cantatum matutinum missa solemnis agatur? quia id est contra generalem Ecclesiæ usum. Ast non ita liquet de celebratione privata. S. Antoninus (3) peccato mortali inficit sacerdotem, qui ante absolutum matutinum celebrat. Huic favere videtur Innocentii III. responsum in causa archiepiscopi Nicosiæ, et suffraganeorum ipsius latinorum contra episcopos græcos regni Cypri, ubi dicitur: *sacerdotes autem dicant Horas canonicas more suo, sed missam celebrare, priusquam officium matutinale compleverint, non præsumant, ubi verbum præsumant importare videtur obligationem gravem.* Alii è contrâ ab omni culpa tales vindicant. Verùm neutra

(1) Ita observatur juxta P. Lebrun, tit. prælim. de præp. ad miss. Bituricis (*Bourges*) in Gallia, Bononiæ, et Parisiis in ecclesia nostræ Domini; excipitur tamen in hoc ultimo loco: nisi archiepiscopus ex causa fuerit à matutinis impeditus.

(2) Miss. Rom. de defect. in celeb. miss. occur. tit. 10. n. 1.

(3) 3. P., tit. 3. cap. 6.

sententia subsistere potest. Non prima : quia lectio matutini non est præparatio absolute necessaria ad devotam celebrationem, ut attendenti patet. Deindè inter matutinum et missam connexio est admodum levis, et ideò Ecclesia ex levi causa permittit missas votivas, seu officio discordes; proindèque non est hic fundamentum sufficiens ad constituendum peccatum lethale. Non etiam secunda; quia inter defectus ponitur, si, non lecto matutino, missa celebretur; adeoque necessariò intervenit aliqua culpa. Cùm ergo adsit culpa, eaque non lethalis, superest esse tantum venialem, quæ consequenter, adveniente aliquâ legitimâ ratione, facile abstergi potest: hinc qui ob confessiones audiendas, studium utile, aut opus charitatis, ante lectum matutinum, celebrat, immunis fit ab omni peccato. Imò juxta aliquos ad hoc sufficit, si quis aptiorem ad orandum se sentiat post celebratam missam, saltem si id frequenter non accidat.

III. Sed quid de eo qui non semel aut iterum sed ex pravo habitu singulis fermè diebus missæ matutinum postponit? Nonnulli talem inficiunt peccato gravi, quia licèt unus vel alter actus non involvat culpam nisi levem, illorum quotidiana et perpetua repetitio rem moraliter immutat, et culpam aggravat. Interim quidquid sit de gravitate hujus negligentiae, certum est esse valde reprehensibilem, et, attentâ probabilitate superioris sententiae, periculosam.

IV. Dicitur in missali: *saltem matutino cum laudibus*: undè si missa, luce jam progressâ, legatur, laudabiliter ante illam Prima absolvitur, et si post nonam matutinam, etiam Tertia. Hæc

praxis olim præscripta reperitur in synodis Coloniensi (1) et Parisiensi (2).

V. Ultra matutini lectionem, addit rubrica: *aliquantulum vacet orationi*, nempe ut mentem à terrenis extrahat, ac divino fervore repleat; impossibile enim est, ut sacerdos cum creaturis conversetur, et mens ejus ad eas non trahatur; ab illis ergo ut se expediat, necesse est ut cor ad Deum per orationem tollat: undè Ecclesia hujus orationis necessitatem sentiens in sacerdote celebraturo, eam in præcepto posuit verbo imperativo *vacet*. Et si tot sacerdotes præcipitanter et indevote, ad impietatem usque, omnia in altari peragant, non aliundè causa tanti mali est quærenda, sed communiter in defectu debitæ præparationis reponenda; undè enim fit ut tandem absque ullo sensu religionis et pietatis ad altare accedant, quasi ad mensam purè profanam.

VI. Pro dictis præparationibus missale Romanum assignat quinque psalmos cum quibusdam versiculis et septem orationibus. Tres primi, scilicet *Quàm dilecta*, etc., *Benedixisti* et *Inclina*, etc., sæculo X ad hunc finem præscripti inveniuntur; si quidem de illis fiat mentio in sacramentario Trevirensi, et tunc, saltem ante missam solemnem, celebrationi præmittebantur litanie Sanctorum, quod et observatur in cathedralibus Cameracensi et Atrebatensi. Id etiam practicavit Ecclesia Tornacensis; sed in hac usus ille à multo tempore desiit. Idem quoque retinent Carthusiani diebus ferialibus, qui et addunt passionem se-

(1) Anno 1280.

(2) Synodici pag. 545.

cundum *S. Joannem. Micrologus* autem circa annum 1090 mentionem facit quatuor psalmodiarum, nempe trium citatorum et psalmi *Credidi* cum una tantum oratione pro peccatis. *Cælestinus* verò primus (1) quinque præscripsit, seu aliis adjecit psalmum *De profundis* cum septem versibus et totidem orationibus. Quinque psalmis petimus à delictis quinque sensuum mundari, et septem versibus et orationibus, septem dona S. Spiritus flagitamus. In duplicibus, et ante missas votivas solemnes, et de *requiem*, in quibus una tantum dicitur oratio, antiphona *ne reminiscaris* integra antè et post ponitur; aliis verò diebus initium tantum ante psalmos dicitur, et integrè post illos recitatur. Hic notari potest ex cæremoniali episcoporum (2) prædictos psalmos cum cæteris sequentibus nequidem ex rubrica directiva esse legendos ante missam de *requiem*: legi tamen possunt, cum sint preces privatæ, sed in illis versus *Gloria Patri* non est immutandus in versus *requiem æternam*; hæ enim preces spectant ad celebrantem, et non ad defunctos, pro quibus missa offertur. Interim quando quis ante missam de *requiem* prædictos psalmos negligit, alias præparationes substituere tenetur, cum rubrica generaliter antè missam sacerdoti præscribat, ut aliquantulum vacet orationi. Itidem tempore passionis, excepto ultimo triduo (3), psalmi legendi sunt cum versu *Gloria Patri*; quia est oratio privata, quæ non regulatur legibus officii

(1) *Durandus*, lib. 4. cap. 2.

(2) De missa pontificali pro defunctis.

(3) *Merati ex Hyppolyto* et *Portu*, p. 2. lib. 1. de præp. sacer. n. 1.

publici. Tempore Paschali antiphonæ *ne reminiscaris* addi debet *alleluia*, etiamsi sequeretur missa de *requiem*: id namque præscribit missale absque ulla distinctione.

VII. Rubrica de illis quinque psalmis ante missam recitandis videtur directiva tantum, uti innuunt hæc verba: *Præparatio pro opportunitate facienda*, sicque nullam importat obligationem; adeoque loco psalmodum præfatorum, unusquisque pro suo libitu et devotione, alias orationes assumere potest. Certum est tamen præparationes missalis aliis esse præferendas, quia componuntur, tum ex psalmis à Spiritu Sancto dictatis, et quorum lectio optimè sonat in ore sacerdotis celebraturi, tum et versibus et orationibus ab Ecclesiâ eodem spiritu directâ selectis.

VIII. Interim præactæ præparationes ad eos tantum spectant, qui missale Romanum sequuntur, non verò ad illos qui missali proprio utuntur: hinc Carmelitæ et Dominicani, quibus preces è piis auctoribus depromptæ sine psalmis assignantur, satisfaciunt illas recitando ante missam: Carthusiani autem dicendo unum *Pater* et *Ave*; nihil enim aliud ipsis præscribitur in cæremoniali ordinis (1). Nec mira videri debet tam brevis præparatio in cœnobitis, qui arctâ et perpetuâ solitudine contra dissipationem muniuntur; aliundè magnâ parte noctis vigilant in cantandis Dei laudibus, quibus adjungunt recitationem officii B. M. V. Præterea diebus ferialibus ante missas privatas cantant missam conventualem, absolvuntque Tertiam de die et Sextam de Beata; aliis verò

(1) Cap. 25 et 52.

diebus saltem Tertiam de Beata recitant, quibus fervore ac devotione ad celebrandum se sufficienter accingunt (1).

IX. Finitâ præparatione, rubrica præscribit manuum lotionem; idque ex decentia, quam olim etiam agnovit Ecclesia Judæorum (2); sed hæc lotio externa sub novo Testamento est symbolum munditiæ internæ de qua in oratione: *Da, Domine, virtutem manibus meis ad abstergendam omnem maculam, ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.* Olim os etiam abluebatur. Hujus ritûs meminit *Timotheus* Alexandrinus (3); interrogatus enim an possit communicare qui, os abluendo, guttulam aquæ deglutierit? Respondet affirmativè, et eò magis, quòd in tali casu videatur illusio ex parte diaboli ad impediendam communionem.

Quoad orationes, quas celebrans fundit induendo vestes sacras, de illis omninò silent sacramentarium *S. Gregorii*, ordo Romanus et *Amalarius*, qui vixit sæculo IX; adeoque profectò fuerunt institutæ post citatum sæculum, sed à quo, et quo tempore præcisè nescitur.

(1) Rothomagi olim solitudo habebatur ut præparatio quasi essentialis ad celebrandum; undè hebdomadarius sabbato ad vesperam deducebatur in domum capitularem, ibique morabatur tamquam passer solitarius in tecto ad sabbatum sequens. Hujus laudabilis usûs vestigium adhuc manet in abbazia sancti *Claudii* intra Gallias, ubi celebrans non tantùm non exit è claustro, sed et abstinet à carnibus.

(2) Exodi 30. v. 18.

(3) Interrogat. 15.

CAPUT SECUNDUM.

DE CÆREMONIIS MISSÆ AB INITIO IN FINEM.

Hoc caput omnem missæ liturgiam complectetur. Præsens materia ut clariùs simul et exactiùs exponatur, hoc caput in multos dividemus articulos, quorum quilibet aliquam missæ partem continebit; ad calcem autem ponetur appendix de qua diximus in initio; indèque lectores non modò totius ordinis missæ Romanæ notitiam, sed et varia antiquitatis monumenta invenient.

ARTICULUS PRIMUS.

De principio missæ, seu signo crucis.

I. SACERDOS vestibus sacris indutus, tegit caput birreto, eoque tectus, procedit usque ad gradus altaris. Ante sæculum X, celebrans, nudo capite, ad aras sacras transibat, quod et nunc practicatur Tornaci, Treviris, Metis in Gallia et quibusdam aliis locis (1); sed jam à longo tempore rubricis Romanis præscriptum est sacerdoti ut, capite tecto, eat ad altare, eo fine, ut in

(1) *Lebrun*, Tract. prælim. de sacrif. art. 8. n. 5.

ministro Ecclesiæ reluceat coram plebe species quædam auctoritatis ; incedendo autem defert calicem , cui manum dexteram superimponit ad majorem securitatem , ne scilicet aliquid ex illo decidat. Constitutus ante mensam altaris extendit corporale præter partem anteriorem , quam sinit revolutam ad offertorium usque , ne osculando altare particulas fortè è sacrificiis præcedentibus ibi residuas ad os attrahat , vel saltem , ne halitu eas è corporali avolare faciat. In corporale sic extensum deponit calicem , ut sit ad manum præsens sub offertorio. Postea tendit ad librum , illum aperit , et signacula , ubi opus est , adaptat , ne infra missam legenda quærendo morretur. Disposito missali , redit ad medium , indeque descendit extra gradus altaris , ut missam ibi exordiat : porrò recitat ibi psalmum *Judica* et ea quæ sequuntur , quia olim psalmus ille dicebatur in sacristia per modum præparationis , vel saltem à sacerdote , dum ad altare procedebat. Convenit aliundè ut sacerdos peccatorem se agnoscat per confessionem , et peccatorum suorum veniam quærat extra altaris ambitum. Sacerdos dum suprâ relata agit , plures exhibet reverentias : 1.º In sacristia ad imaginem. 2.º Ante gradus altaris antequam ascendat. 3.º Ad crucem in accessu ad altare. 4.º Ibidem iturus ad librum. 5.º Iterùm in medio altaris ab eo descensus. 6.º Tandem ante gradus , missam exorsurus. Præterea infra missam caput cruci inclinatur , quotiescumque accedit ad medium altaris , vel ab eo discedit. Hæ reverentiæ videntur fundatæ in usu omnium gentium , juxta quem personæ ad superiorem vel etiam æqualem accedentes vel ab

eo recedentes, vel coram illo transeuntes, ei reverentiam exhibent. Sed quare in accessu ad gradus altaris fit inclinatio profunda corporis, cum in altari simplex inclinatio capitis cruci exhibeatur? Hoc etiam videtur oriri ex eodem usu, qui habet ut profundior reverentia fiat in primo accessu ad aliquam personam, quàm in decursu conversationis.

II. Sacerdos, ut suam exhibuit reverentiam per inclinationem corporis, vel genuflectionem, si in tabernaculo sit Christi corpus, stans ante gradus altaris admovet palmam manûs sinistrae ad corpus, tum ne pendula in aëre indecenter maneat, tum ut compressione cordis, illius devotionem excitet. Deindè dexterâ physicè tangit frontem, pectus et utrumque humerum, dicens: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritûs Sancti, Amen.* Cùm ex Apostolo omnia opera nostra ad gloriam Dei solius inchoari, perfici et consummari debeant, convenientissimè missam, id est, maximum hujus terræ opus et negotium, exordimur ab augustissimo Trinitatis nomine, hoc est, Patris, qui misit Filium suum in terram, Filii, qui morte suâ nos redemit, et Spiritûs Sancti, qui applicatione meritorum Christi nos sanctificavit. His verbis adjungitur *amen.* Cùm hoc verbum sæpissimè per missam recurat, juvat hic sensum illius aperire. Vox est Hæbraïca, quæ latinè redditur *ita sit*: undè per eam summam, quod præcedit resumimus, et erga illud affectum et desiderium exprimimus. Ex his inferes verbum *amen*, hic et post omnes alias missæ orationes, non assertivè seu pro verè, uti in evan-

gelio (1), dum dicitur *amen*, *amen dico vobis*, sed optativè esse sumendum. In quibusdam tamen locis, non tantùm optativè, sed etiam assertivè accipi debet, ut datis illis occasionibus dicemus.

Sacerdos dicens *In nomine Patris*, etc., format signum crucis, ut advertat per missam se renovare crucis sacrificium juxta illud Apostoli (2): *Quotiescumque enim manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

III. Signum crucis, quo missam exordimur, et quod frequenter per missam renovamus, ad ultimam antiquitatem revehi debet; nam ex quo lignum crucis sanguine Christi purpuratum est, instrumentum illud antea infame, factum est Christianis venerabile, eoque, ut crucifixi milites, continuò se armabant primi fideles. De illius usu, ut de re jam ubique in Ecclesia vigente, loquitur *Tertullianus*: *ad vestitum*, inquit (3), *ad lavacra*, *ad cubilia*, etc., *frontem crucis signaculo terimus.*

IV. Sub primis Ecclesiæ sæculis, fideles se parvâ cruce in fronte signabant, uti patet ex *Tertulliano* suprâ citato; modò etiam solum os, vel solum cor seu pectus ad crucem formandam tangebant (4). De sola fronte tangenda à celebrante meminit I ordo Romanus his verbis: *faciens crucem in fronte sua.* Idem habetur in II ordine (5). Porrò hi ordines conscripti sunt juxta

(1) *Joannis*, cap. 6.

(2) I. ad Corinth., cap. 11.

(3) De corona militis, cap. 3. et lib. II. ad uxorem.

(4) *Lebrun*, explic. litteral., p. I. art. 2 n. 3.

(5) Num. 5. apud *Mabillon*.

aliquos sæculo VIII, sed probat *Mabillon* (1) esse antiquiores, et extitisse sub *Gelasio* vel *Gregorio Magno*; adeoque ritus se signandi in fronte duravit usque ad sæculum VI, et fortè ultrà. Hujus antiquæ praxis signandi frontem, os et pectus, vestigium Ecclesia servavit ad initium evangelii, ubi celebrans se signat successivè in tribus illis partibus. Verùm à multo tempore fit signum latius, ducendo nempe manum à fronte ad pectus; et deindè ab humero sinistro ad dexterum. Primâ lineâ hujus crucis simul signantur frons, os et pectus, quæ olim distinctis crucibus signabantur; adeoque modo breviori nunc fit quod olim per plura fiebat. Præterea datur et alia ratio suadens hanc majorem crucis extensionem; cùm enim cruce signatio fidei christianæ professionem contineat, convenientissimè sensibilior reddita est per transportationem totius manûs à fronte ad pectus; et deindè ad duos humeros.

V. Græci se signantes manum dexteram ferunt ab humero dextro in sinistrum, quod et Latini juxta *Innoc. III.* (2), olim practicabant communius. Verùm commoditate transferendi manum à pectore ad humerum sinistrum et postea ad dexterum plures allekti sic praticare cœperunt, ac paulatim usus ille ita generaliter crevit, ut vim legis obtinuerit, quam *S. Pius V.* in reformatione missalis Romani confirmavit. Nec huic rubricæ deest ratio moralis; ducendo enim manum à fronte ad pectus sub his verbis *In nomine Patris, et Filii*, profitemur Filium de sinu Pa-

(1) In ordinem Rom. tit. 2.

(2) C. Myst. miss., lib. II. cap. 47.

tris in uterum Virginis descendisse. Illam autem ferendo ab humero sinistro in dexterum sub his verbis, *et Spiritus Sancti*, agnoscimus opere ejusdem Spiritus Sancti nos fuisse translatos à captivitate dæmonis in sortem filiorum Dei; sinistrâ quippe rectè captivitas significatur, siquidem judex stantibus à suis sinistris dicturus sit: *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum*, et dexterâ sors justorum, quibus ad eam stantibus in die judicii dicetur: *Venite Benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum*, etc.

VI. Compositio manûs signantis olim varia fuit nuncque variatur. Latini olim clausis annulari et parvo digitis, tres alios extendebant (1) ad exprimendum mysterium Trinitatis personarum, huncque signandi modum retinuerunt episcopi, Carthusiani et Dominicani; eundemque Græci retinent, cum hoc tamen discrimine, quòd simul jungant extremitatem pollicis et medii digiti, aliis tribus extensis. Extensionis omnium digitorum ad formandam crucem, nulla causa scitur, nisi difficultas plicandi duos digitos sub aliorum extensione; quâ de causâ factum est, ut multi neglexerint claudere ultimos digitos; indèque nata praxis extendendi omnes ad signum crucis, et rubrica praxim illam præscribens.

VII. Signum crucis, ut signum terribile dæmonibus semper Ecclesia habuit; undè in exorcismis frequens illius usus, et non mirum, cum enim dæmones mysterio crucis victi fuerint, ad illius signum aufugere solent. Indèque etiam pia praxis fidelium, ut in die tentationis signo cru-

(1) *Inn. III.*, *Myst. miss. lib. 5. cap. 55.*

cis se muniant. Optimè igitur sacerdos missam exorsurus illo venerabili signo contra diabolicos incursus se armat, ut liber ab illis quietiùs et devotiùs sacris mysteriis vacare possit.

VIII. Ex dictis de signo crucis, scilicet de illius antiquitate, significationibus, effectu, concludendum superest signum illud tot titulis venerandum exactè et devotè esse formandum, non tantùm sub missa, et divino officio, sed quotiescumque illo nos armamus; ad quod velim multi advertant, qui se signantes manum negligerè ante pectus movent absque tactu physico terminorum crucis, imò absque ulla crucis specie.

ARTICULUS II.

De psalmo Judica me, Deus.

I. CELEBRANS, ut se signavit, recitaturus psalmum *Judica*, sumit statum supplicis, id est, manus jungit ante pectus, prout decet Deum orantem; ponit autem in modum crucis pollicem dexterum supra sinistrum, non modò, quia sic quasi naturaliter sub junctione manuum se ferunt pollices, sed et ut habeat continuò sub oculis imaginem crucis, cujus commemorationi vacat. Junctis manibus, altà voce in gratiam ministri, quocum alternatim loquitur, antiphonam et præfatum psalmum recitat.

II. Post psalmum adjungit versum *Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*, cui minister respondet *sicut erat*, etc.: porrò celebrans sub dicto versiculo caput inclinat, ut non tantùm verbum, sed et facto gloriam Deo exhibeat. Hic

6..

versiculus communiter tribuitur apostolis; idque probat Cardinalis *Bona* (1) testimonio sanctorum *Basilii* et *Athanasii* qui floruerunt sæculo IV, quique de eo loquuntur tamquam de re in Ecclesia generaliter usitata absque ulla originis illius notitia; proindèque quæ reduci debet juxta regulam *S. Augustini* ad tempus apostolorum. Porrò primus, seu *S. Basilius* apertam facit hujus versûs mentionem; cùm enim conclusisset unum sermonem his verbis: *Gloria Patri, et Filio, cum Spiritu Sancto*, redargutus est; eò quòd non dixisset more usitato *in Spiritu Sancto*, quare in sui justificationem scripsit librum de Spiritu S., ubi ostendit eundem esse sensum, sive dicatur *cum*, sive *in Spiritu Sancto*: de eodem etiam loquitur *S. Athanasius* in libro virginittatis, ubi ait: *Cùm surrexeris à mensa dices, miserator... Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto*. Hic versiculus psalmis fuit adjectus à *S. Damaso* Papa sæculo IV, prout patet ex breviario Romano (2); et id, ut frequenter infra officium intentio et attentio renovarentur.

Altera pars hujus versûs *sicut erat*, etc., præscripta invenitur in concilio Vasensi anno 529 contra Arianos, qui Filio initium dabant: erat tamen in usu in nonnullis locis, uti insinuat concilium jam citatum his verbis: *Quia non solum in Sede apostolica, sed etiam per totum Orientem, et totam Africam, et Italiam... In omnibus clausulis post Gloria Patri...* Sicut erat in principio et nunc et semper, et in sæcula sæculorum,

(1) Lib. de div. psalm. cap. 16. §. 6.

(2) In officio *S. Damasi*, 11 Decemb.

Amen. *Ita etiam nos in universis Ecclesiis nostris hoc ita dicendum esse decernimus.*

III. Hæc doxologia levem patitur diversitatem apud Græcos et Hispanos; primi enim dicunt *Gloria Patri, et Filio et Spiritui Sancto, et nunc et semper in sæcula sæculorum Amen*: alii verò ex decreto conc. Toletani (1) *Gloria et honor Patri, et Filio, et Spiritui Sancto, et nunc et semper*, etc. Hæ formulæ in idem redeunt cum ea quâ utimur, sed per verba *sicut erat in principio*, clariùs æternitatem Filii exprimimus. Aëtius Ecclesiæ Antiochenæ diaconus, et Arianismi sectator, hunc glorificationis versum sic cani instituit *Gloria Patri per Filium in Spiritu Sancto*. Quæ verba, licèt per se nullam hæresim contineant, eâdem quippe usus est S. Leo (2) dicens: *Agamus, dilectissimi, gratias Deo Patri per Filium ejus in Spiritu Sancto*, subdolè tamen ab Arianis usurpabantur, ut illorum æquivocatione suam impietatem celarent; sicque in eorum ore dicta verba erant reprehensibilia.

Amen hìc sumi potest, non tantùm optativè, desiderando gloriæ divinæ extensionem ex parte creaturarum, sed et assertivè, affirmando gloriam Deo à principio in finem sæculorum esse reddendam.

IV. Post psalmum repetitur antiphona *introibo*. Antiphona latinè idem dicit, ac *vox contra sonans*, quia ante et post psalmum semel ab uno choro et semel ab altero canebatur: sic ut vox unius chori contra vocem alterius sonaret; sed nunc

(1) Anni 655.

(2) Sermone 1. de Nativitate.

per antiphonam intelligitur brevis sententia, quæ ante et post psalmum dicitur, quæque magis conveniens ipsi oranti ordinariè seligitur ex ipso psalmo, prout hic accidit. Quippe antiphona *introibo* desumpta est è psalmo *Judica*, et maximè convenit celebranti ad altare ascensuro, ut in corde exultet ob intimam cum Deo suo communicationem, quam mox in altari habebit, et cœlestes benedictiones, quas indè fiducialiter expectat.

V. In missis de tempore passionis, et de *requiem*, psalmus *Judica me, Deus*, omittitur, quia psalmus est lætitiæ, et jubilationis, cujus consequenter recitatio non convenit missæ lugubri. Dicitur tamen antiphona *introibo*, quia juxta *Lebrun*, licèt in missa lugubri expressa exultationis signa dare non conveniat, nihil tamen obest, quominus motivum illius exultationis conservetur, et consequenter in illa dicatur *introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam*. Aliam omissionis psalmi rationem adfert *Pouget* (1), nempe ut conservetur in illis missis vestigium antiquitatis, quæ hujus psalmi recitationem non admittebat saltem in altari.

VI. Hunc psalmum habet missa *Illyrici*, quæ ad sæculum VII refertur. Ast certum est tunc temporis non ubique in missa lectum fuisse; siquidem de eo sileant primi ordines Romani. Circa initium tamen sæculi XII, cœpit locum in missa invenire; illius quippe meminit *Micrologus*, et postea sæculo XIV ordo Romanus XIV;

(1) Inst. Cathol., tom. 2. pag. 25. edit. in-fol., aut in catechismo Montis Pessulani gallicè scripto, cujus idem est auctor tom. 4. p. 5. sect. §. 22. n. 1. ad finem.

deindè missale recognitum à *Paulo III*, et impressum anno 1550 linquit arbitrio sacerdotis, ut hunc psalmum legat, altâ vel submissâ voce. Sed advertit *Parris de Grassis* (1) suâ ætate liberum fuisse psalmum illum dicere aut omittere; ita ut illius lectio in præcepto sacerdotibus ritum Romanum sequentibus fuerit posita à *S. Pio V* in nova missalis Romani recognitione.

ARTICULUS III.

Explicatio psalmi Judica me, Deus.

I. Hic psalmus, juxta communem interpretum sententiam, fuit à Davide compositus, exhibetque litteraliter personam à sancta civitate et templo exulem, et vehementer desiderantem ad sua redire, ut in templo Domini vota sua ei reddat. Sed quæ fuerit illa exul persona, controvertitur. Alii dicunt fuisse Davidem, dum fugens à facie Saülis vel Absalom, in medio populi infidelis habitare cogebatur. Alii verò tenent fuisse compositum occasione captivitatis Babylonice; ita ut hic psalmus contineat vocem populi Israëliti sub dicta captivitate gementis, et sub spe regressûs exultantis. Juxta hanc ultimam sententiam procedemus in explanatione hujus psalmi; deindè brevem addemus illius applicationem Davidi, et etiam sacerdoti celebranti.

II. *Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta; ab homine iniquo et doloso erue me.* Israëlita totum populum in captivitate

(1) Cæremoniarum magister sub *Leone X*, dein Episcopus *Pisaurensis*.

positum repræsentans, longè factus à templo Domini, et cum impiis confusus in Babylonia, causam suam defert ad tribunal supremi Judicis, petitque ab eo, qui justè judicat, judicari. *Judica me*, inquit, *Deus*, judicio nempe misericordiæ, quia coram te non justificabitur omnis vivens, et si iniquitates observaveris, quis sustinebit? *Et discerne causam meam de gente non sancta.* His verbis petit, ne diutiùs confundatur et pereat cum gente impia, sed ab ea citò segregetur. *A viro iniquo et doloso*, seu à tyrannide regis Babyloniæ, pariter *erue me.*

III. *Quia tu es, Deus, fortitudo mea, quare me repulisti? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?* Persona hujus psalmi sanctâ cum audaciâ, quæ in Sanctis Deum minimè offendit, conqueritur de superni auxilii absentia, quia, inquit, seu cùm sis, Deus, fortitudo mea, in quo solo semper speravi, quare videris, me abjecisse? Et quare mœrore consumor sub dura manu inimici, seu regis Babyloniæ. Nihil autem insolitum in hac justis in Deo confidentis derelictione: id enim continuò accidit in hac terra exilii, ubi impii exultantur, et justis affliguntur, saltem ad tempus, Deo ita disponente: 1.º Ut hi magis humilientur. 2.º Ut à terrenis affectibus et peccatis purgentur. 3.º Ut cogantur ad Deum ferventiùs recurrere. 4.º Ut in afflictione pignus suæ prædestinationis accipiant; nam cùm justitia Dei respectu ipsorum in hoc mundo locum non habeat, certò certius in futuro sæculo habebit.

IV. *Emitte lucem tuam, et veritatem tuam: ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.* Per lucem

hîc intelligitur gratia seu auxilium Dei, quod sæpè lux dicitur in Scriptura, et notanter Ps. 66: *Illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.* Per veritatem verò intelligitur verbum, quo Deus fidelis se adfuturum justis eum invocantibus promisit: undè sensus est: mitte auxilium, et sta verbis: *ipsa me deduxerunt et adduxerunt*, id est, deducunt et adducunt; ponitur enim præteritum pro futuro, quod non est rarum apud prophetas, qui res futuras exprimunt in præterito, ut adeo certos de earum eventu se ostendant, ac si jam sub eorum oculis fuisset præteritus, sicque expressè habet versio S. Hieronymi: *Deducunt et adducunt ad montem sanctum tuum*, seu montem Moria, in tabernacula tua, id est, in templum, quod in illo monte à Salomone fuit extractum.

V. *Et introibo ad altare Dei, ad Deum qui lætificat juventutem meam.* Exul hujus psalmi explicat his verbis, quid redux in terram Israël sit acturus, introibo, inquit, usque in Domum Dei, et pertingam ad altare illius. Imò accedam ad Deum, de quo scriptum est (1): *Quoniam elegit Dominus Sion* (2): *elegit eam in habitationem*

(1) Ps. 131.

(2) Quamvis dixerimus Domum Dei sitam in monte Moria, tamen sine contradictione hîc dicitur plantata in monte Sion, quia unus et idem erat mons Moria, Sion et Calvaria, sed divisus in tria cacumina, quorum unum vocabatur Moria, alterum Sion, et tertium Calvaria. In primo erat situm templum; in secundo arx David, et in tertio, quod extabat extra civitatem Jerusalem, Christus passus et mortuus est. His positiss videtur quomodo templum Domini modò dicatur stetisse in monte Moria, modò in monte Sion: sumendo nempe montem illum pro parte ipsius inferiore et indivisa.

sibi. *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hinc habitabo, quoniam elegi eam.* Qui lætificat juventutem meam, seu, ut habet S. Hieronymus, ad Deum lætitiæ et exultationis meæ. Id est, ad Deum, qui in animam infundit gaudium et exultationem. In idem redit sensus Vulgatæ nostræ, qui lætificat juventutem meam, quia Deus cor recreando, facit ut homo in se quamdam juvenilem affectionem sentiat.

VI. *Confitebor tibi in cithara, Deus, Deus meus; quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?* Ulteriùs narrat quid ingressus in Domum Dei sit facturus: *confitebor*, inquit, tibi, qui es *Deus*, et *Deus meus*, cui servio. Verbum confiteri idem significat ac laudare et gratias agere; adeoque sensus est, *confitebor tibi*, seu hostiam laudis et gratiarum actionis pro recuperata libertate tibi offeram, in instrumentis musicis, quibus nomen tuum in templo glorificari solet; hinc enim ponitur unum instrumentum, nempe cithara, pro aliis omnibus. Fretus autem spe firmâ liberationis excutit à se omnem sensum tristitiæ et turbationis. Cùm, inquit, anima mea, divino lumine interiùs illustrata, cognoscas exitum è captivitate, reditum in civitatem sanctam, et ingressum in Domum Dei; quare in hac terra exilii tristis es et turbaris?

VII. *Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi salutare vultus mei, et Deus meus:* excusso mœrore, ad spem vivam in Deo se excitat. *Spera in Deo* inquit, anima mea; certus enim sum *quoniam adhuc*, sicut olim feci, *confitebor* in templo illi, qui est *salutare*, seu *salus vultus mei*, à quo amovit omnem mœroris speciem; *et Deus meus*, quasi diceret, qui se palam probabit Deum, prote-

ctorem et liberatorem meum, ita ut non amplius dicturus sim: quare oblitus es mei? et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus?

VIII. Sensus versiculi *Gloria Patri, et Filio, etc.*, per se satis patet, similiter et responsi *sicut erat*, etc. Solùm est notandum, quòd verba hujus responsi sint proferenda non optativè tantùm, sed et assertivè, affirmando nempe quòd ab æterno, in tempore, et deinceps in sæcula sæculorum tota simul Trinitas sit glorificanda: undè profitemur, contra Arianos et alios hæreticos, æternitatem trium Personarum divinarum; nempe quòd æternus sit Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

IX. Si quis malit hunc psalmum Davidi applicare, id facili negotio præstare poterit. Ad hoc 1.º consideret Davidem exulem et fugientem à facie Saülis vel Absalom. 2.º Per virum iniquum, dolosum et inimicum, intelligat Saülem vel Absalom vel Achitophel. 3.º Per montem sanctum, tabernacula et altare Dei, intelligi debet arca fœderis, cùm sub temporibus Davidis templum nondum esset Altissimo erectum; vel, cum nonnullis, hæc sumenda sunt sensu anagogico pro tabernaculis æternis; et in hoc sensu versus *confitebor tibi in cithara* sic exponi debet: cùm in cœlesti Jerusalem fuero plantatus, laudabo te in cithara seu corde jubilante. Cithara quippe materialis non erit in cœlo; adeoque hoc verbum metaphoricè accipi debet. Cùm autem cithara esset instrumentum musices auditu gratum, quo Dei laudes in templo manufacto cantabantur, rectè per illud mentes seu cordis jubulum exprimitur. Major est difficultas in versu 6, *spera in*

Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ubi particula *adhuc* videtur importare personam hujus psalmi jam fuisse in possessione illius quod hinc sperat; falsum est autem jam laudasse Deum in cœlis; quod tamen sibi promittit: sed sano sensu verbum *adhuc* sumi potest ut simplex futurum importans; ita ut sensus sit: spera in Deo quia tempus confitendi Deo nondum respectu tui effluxit, sed adhuc futurum est, et certò erit, quo præsens Deum laudabis.

X. Sacerdos hunc psalmum sibi accommodare potest sequenti modo: 1.º Se consideret exulem, viatorem et peregrinum in hac terra exilii, et continuò tentationibus et persecutionibus oppressum. 2.º Per virum iniquum, dolosum, et inimicum intelligat dæmonem, qui continuò circuit quærens quem devoret; vel personas injustè eum opprimentes, et ad malum tentantes. 3.º Per montem sanctum, tabernacula, et altare Dei intelligat aram ad quam ascensurus est, et in qua Deo confitebitur in cithara, id est, in exultatione; vel sensu anagogico mentem tollat ad tabernacula æterna, uti antè dictum est.

ARTICULUS IV.

De versu adjutorium nostrum et aliis usque ad ascensum in altare.

I. Post psalmum, dum dicitur, vel post antiphonam *introibo*, dum psalmus omittitur, subjungit celebrans *adjutorium nostrum in nomine Domini*, ac interea se signat. His verbis 1.º Celebrans profitetur ad obtinenda ea quæ, recitans

psalmum vel antiphonam *introibo*, sibi promissit, non in propriis meritis fidere, sed in adiutorio Dei omnipotentis. 2.^o Interea se signat ad ostendendum, se dictum Dei adiutorium expectare à meritis Christi, qui in cruce passus est. Respondet minister *qui fecit cœlum et terram*, seu asserit Deum esse omnipotentem, qui solus mundum de immundo conceptum semine facere potest, et hominem viatorem ad regna cœlestia perducere; adeoque sacerdotem in tali adiutore non immeritò spem reponere; hic versiculus legitur in missali Mozarabico, et in missa *S. Gregorii*.

II. Post versum, de quo suprâ, fit confessio peccatorum hâc formulâ: *Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaëli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere: meâ culpâ, meâ culpâ, meâ maximâ culpâ. Ideo precor beatam Mariam semper virginem, beatum Michaëlem Archangelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.* Sacerdos igitur innumerabilium peccatorum suorum pondere oppressus, et sub eorundem confessione non audens cœlum respicere, se profundè incurvat, oculos ad terram vertens; dum dicit *ter meâ culpâ*, ter pectus tundit ad exemplum publicani; idque ad testandum, simul et ad excitandum dolorem de peccatis. Sub hac confessione se fatetur reum coram cœlo et terra. 1.^o Coram Deo creatore, redemptore et iudice suo. 2.^o Coram beata Virgine *Maria*, cujus Filium suis iniquitatibus in-

terfecit. 3.º Coram beato *Michaële* Archangelo, cujus obsequiis se ingratum præstitit. 4.º Coram SS. *Joanne Baptista*, *Petro*, *Paulo* et omnibus Sanctis, quorum monita seu exempla contempsit, quique in fine mundi apparebunt *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, et nobiles eorum in manicis ferreis, ut faciant in eis judicium conscriptum* (1). Hic exprimitur præ Angelis *Michaël*, quia Ecclesia eum populi Dei protectorem agnoscit: undè ei cantat nomine Dei: *Archangele Michaël, constitui te principem super omnes animas suscipiendas*. Deindè fit mentio particularis quorundam Sanctorum præ aliis, quia hi fuerunt præcipui Ecclesiæ principes; S. enim *Joannes Baptista* fuit finis antiqui, et principium novi Testamenti; quippe qui sub ultimis umbris antiqui Testamenti rectas fecit vias evangelii, annuntians Judæis adventum Christi, eisque prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum; apostoli verò *Petrus* et *Paulus* præ cæteris plus in disseminando regno Christi laboraverunt. 5.º Tandem confitetur coram adstantibus *et vobis, fratres*, quibus fortè malis moribus, aut pravis consiliis, aut alio modo fuit occasio scandali.

Addit determinans rationem hujus confessionis: *quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere*, id est, multoties et omnibus modis, quibus Deus offendi potest: ad majorem autem suæ confessionis sinceritatem, prævaricationes suas, in infirmitatem suam, seu gravem aliquam tentatio-

(1) Ps. 149.

nem minimè refundit ; sed eas sibi imputat , dicens non semel , sed ter *meâ culpâ* , *meâ culpâ* , et quidem *meâ maximâ culpâ* : tum ad remissionem tot et tantorum fortè peccatorum , sentiens necessitatem potentis ad Deum intercessionis , prosequitur , *ideo precor beatam Mariam* , etc. , quibus verbis suppliciter invocat sanctam Dei Genitricem , Sanctos de quibus in prima parte hujus confessionis et adstantes , ut pro se orent ad Deum , et indulgentiam precibus eorum obtinere mereatur.

III. Si excipiatur missa *Illyrici* , ante sæculum VIII nulla fit mentio in libris liturgicis alicujus formulæ confessionis celebrationi præmittendæ ; hujus enim nullum verbum in missali Gothico , in sacramentario *S. Gregorii* , in antiquo missali Mozarabico , nec in primo ordine Romano , sed tantùm in secundo , idque terminis vagis nempe : *Pontifex postquam in medietatem chori perducitur , inclinans se ad Deum pro peccatis suis deprecatur*. In *Micrologo* , et in missali *Pauli III.* semel ponitur *meâ culpâ*. Tandem in ordine Romano XIV , confessio , quæ diversis verbis erat concepta in ritualibus et missalibus , formam accepit , sub qua eam recitamus , excepto quòd in ea legatur , *quia peccavi nimis... delectatione , consensu* , quod omisit *S. Pius V* , in missali quo utimur.

IV. Quamvis , ut notat cardinalis *Bona* , præcisè determinari nequeat , quo tempore confessio inducta fuerit in liturgiam missæ ; attamen dici potest ex *Illyrico* circa sæculum VIII transiisse in ordinem missæ Romanæ. Et non mirum , quia est optima dispositio ad celebrandum , de qua etiam scriptum est : *dic peccata tua , ut justificeris* ;

et in alio loco *Justus prior est accusator sui*. Interim omnibus notum est hanc confessionem non esse sacramentalem; adeoque non operari ex opere operato, sed solùm ex opere operantis: hoc est quòd si devotè et cum dolore peccatorum venialium exerceatur, illa delet. Imò si fieret cum contritione perfecta, posset et tollere culpas graves fortè ignoratas. Hinc stante dubio, quo omnes involvimur, circa justificationem nostram; nemo enim scit, utrùm sit amore vel odio dignus, sequitur hanc confessionem, non raptim et præcipitanter, prout communiter accidit, sed cum omni mentis attentione et compunctione esse faciendam.

V. Huic supplicationi, quâ celebrans concludit suam confessionem *ideo precor... et vos, fratres, orare pro me ad Dominum Deum nostrum*, plebs congregata annuens, per os ministri hanc ad Deum pro eo fundit orationem: *Misereatur tuí omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis perducatur te ad vitam æternam*, cui sacerdos respondet *amen*, quo summatim resumit orationem pro se factam, eamque approbat. Sub hac autem oratione, manet celebrans profundè inclinatus, ut suí humiliatione efficacius effectum illius consequatur.

VI. Cùm non tantùm sacerdotem sacrificantem deceat perfecta sanctitas, seu mundities à minimis peccatis et affectibus pravis, sed et populum missæ præsentem, qui suo modo offert cum sacerdote, ideo minister nomine totius coetùs eandem facit confessionem, ac eodem sensu, quo suprà.

VII. Sacerdos à ministro excitatus his verbis, *precor... te, Pater, orare pro me*, orationem pro se

fusam à populo ei rependit, dicens : *Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducatur vos ad vitam æternam, cui minister respondet amen.* Ponitur in plurali, quamvis minister sacerdotem pro se tantum requirat, quia dictus minister totam plebem repræsentat. Sequitur alia oratio quam sacerdos pro se simul et pro populo facit, scilicet, *indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. R. Amen.* Sub primis illius verbis se signat; indè ostendens se non aliundè, sed à meritis Salvatoris crucifixi peccatorum deletionem expectare. Quamvis prima hujus supplicationis verba videantur synonyma, attamen diversus eis sensus dari potest; indulgentia enim sonat partis, non totius pœnæ extinctionem; absolutio verò illius totalem deletionem; et remissio culpæ abstersionem. Additur *omnipotens et misericors Dominus*, quia justificatio peccatoris est actus omnipotentiae simul et misericordiae Dei.

VIII. Sacerdos aliquantulum corpore inclinatus recitat aliquot versus è psalmis depromptos, quibus pergit urgere Dei misericordiam erga se et populum, et ut eam efficacius mereatur, statum supplicis assumit, id est, se inclinat. Versus illi sunt sequentes :

1^{us}. *Deus tu conversus jam ad nos per iræ depositionem, vivificabis nos per gratiam tuam sanctificantem, quâ anima vivit et in amicitia tua servatur, et plebs tua ob tantum beneficium lætabitur in te, ingenti exultatione enarrando laudes tuas.*

2^{us}. *Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam*, seu non modò super nos descendat misericordia tua, sed fac ut sensibiliter per infusam mentis serenitatem, et conscientiaë bonæ testimonium experiamur et sentiamus miserationis tuæ effectum. *Et salutare tuum*, id est, salutem, seu Jesum Christum salvatorem *da nobis*.

5^{us}. *Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus ad te veniat*. Hic versus, cujus sensus per se patet, non rarò collectis divini officii præponitur ad excitandas Dei aures super vota quæ ad eum per collectas deferuntur. Cùm autem celebrantis sit in altari vota sua et populi offerre, rectè ante ascensum ad illud dicit: *Domine, exaudi*, etc.

4^{us}. *Dominus vobiscum*. His verbis celebrans ad altare ascensurus, populum salutatur, eique jam vacanti rebus divinis apprecatur, ut Domino, seu ejus spiritu repleatur. Cùm autem sacerdos offerens sacrificium non minùs indigeat divinâ assistentiâ, quàm populus, respondet minister: *et cum spiritu tuo*. Subintelligitur *Dominus sit*. Sub hac salutatione non se vertit celebrans ad populum, quem alloquitur, quia in missa solemnitate cantûs impediretur vox hujus salutationis, aut fortè, quia hæc olim in sacristia vel infra iter ad altare, per modum præparationis recitabantur.

Tandem subjungit altâ voce *Oremus*, extendens manus et mox conjungens. Hoc verbo excitat plebem ad secum orandum, seu ut vota suis societ. Extendens autem manus et mox jungens, vota populi quodam modo colligit, ut ea in altari Deo offerat. Addi etiam potest hanc manuum

extensionem esse gestum naturalem hominis, qui devotionem internam retinere non valens, eam exteriùs signo sensibili prodit.

IX. Oratio *misereatur* invenitur in confessione S. *Fulgentii*, in ordine Romano, in missa S. *Gregorii*, et in *Micrologo*, sed sub forma paululùm diversa ab ea, quã utimur à reformatione missalis sub S. *Pio V.* Oratio verò *indulgentiam* non legitur in omnibus locis suprã citatis, ubi fit mentio *misereatur*, sed tantùm in *Micrologo*, et missa S. *Gregorii*, ubi refertur ferè de verbo ad verbum, prout nunc est; undè inferri posset hanc orationem posteriorem esse præcedente. Versus *Deus tu conversus* et *ostende nobis* in antiquis passim missalibus non inveniuntur. In Meldensi iis additur *ora pro nobis, sancta Dei Genitrix, cum R. ut digni efficiamur.* Verosimile est ex hoc missali transiisse in Romanum sub S. *Pio V.*, quibus additus fuit versus *Domine, exaudi orationem meam, et Dominus vobiscum.* Hæc salutatio, cuius usus frequens est in officio et missa, è libro *Ruth* (1) desumpta est. Booz enim ibi legitur messores salutasse dicendo, *Dominus vobiscum.* Responsum autem *et cum spiritu tuo* reperitur in novo Testamento (2), ubi ait Apostolus: *Dominus Jesus Christus cum spiritu tuo.*

(1) Cap. 2. v. 4.

(2) 2. ad *Timotheum*, cap. 4. v. 22.

ARTICULUS V.

De ascensu ad altare usque ad introitum.

I. CELEBRANS ut dixit *oremus*, voce secretâ ad altare ascendens, dicit: *Aufer à nobis, quæsumus, Domine, iniquitates nostras, ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen.* Secretò hîc loquitur, quia in missis, saltem privatis, pro se tantùm orat: solus quippe sacerdos altare ingreditur. Nec obest hanc orationem in plurali esse conceptam. Nam non rarò numerus pluralis ponitur pro singulari, v. g. *Statuimus* pro *statuo*, *volumus* pro *volo*. Dixi: saltem in missis privatis; quia in solemni, sub qua ministri ascendunt cum celebrante, nihil impedit quominùs in plurali sumatur; ideoque videtur sic formata, ut modò in singulari, modò in plurali accipi possit.

II. Per verba hujus orationis: *Ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire*, fit allusio ad ingressum summi Pontificis in Sancta Sanctorum, quò sub veteri Testamento præviè sanctificatus semel in anno intrabat. Sacerdos igitur ad illius exemplum ascendens ad altare Dei viventis, cujus antiquum tabernaculum fuit umbra tantùm et figura, petit mundari ab iniquitatibus suis, ut corde puro possit Deo ministrare: concludit hanc orationem *per Christum Dominum nostrum*. Cùm Christus sit fons omnium gratiarum, quæ ad nos de cælo veniunt, ideo Ecclesia collectas ferè omnes concludit præfatâ formulâ.

III. Hujus orationis meminit *Micrologus* (1), sed eam ponit ante confessionem. In missa *Illyrici* (2) ponitur legenda in ascensu ad altare, et ante psalmum *Judica*, qui in altari post hanc orationem legebatur. De ea etiam fit mentio in ordine Romano XIV (3), ubi et ritus modernus, quo legi debet, refertur. In omnibus liturgiis etiam Græcis *S. Jacobi*, *S. Marci*, et *Æthiopum*, ponitur oratio in ore sacerdotis ad altare ascendentis, diversa quidem verbis à nostra, sed quoad sensum in idem ferè rediens. In missa *Joannis Du Tillet*, episcopi Meldensis sub sæculo XVI invenitur oratio *Omnipotens.... Qui me peccatorem sacris*

(1) Cap. 23. *Micrologus* an sit nomen auctoris, an libri, nescitur. Solùm constat auctorem, seu librum extitisse post tempora *Gregorii VII*, cujus facit mentionem; cùm autem citatus Pontifex mortuus sit anno 1085, opus illud consequenter lucem non vidit ante finem XI sæculi.

(2) *Mathias Trancowits*, seu potiùs *Francowits*, qui et comuniùs *Flaccius Illyricus*, et quidem simpliciter *Illyricus* dicitur, natus est Albonæ in Illyria 3 Martii 1520; fuitque discipulus *Lutheri* et *Melanchthonis*. *Illyricus* Argentini missam imprimi curavit, quam dicit extractam ex antiquissimo comitis Palatini manuscripto, et cui titulum dedit: *Missa Latina, quæ olim ante Romanam circa annum 700 in usu fuit*. Hæc missa suæ sectæ favere intendebat; sed, cùm contrarium accidisset, statim à sectatoribus *Lutheri* et *Calvini* fuit suppressa. *Menardus* et *Mabillon* antiquitatem hujus missæ in dubium revocant; sed alii, inter quos auctor perpetuitatis fidei, tom. 2. lib. 8. cap. 3. eam ut authenticam recipiunt. Verùm quid sit de antiquitate illi data, ab omnibus missa *Illyrici* habetur ut fragmentum antiquum, et in materia liturgica pretiosum. Qui plura circa hoc videre cupit, legat *Grancolas* de antiquis missæ liturgiis.

(3) Hic ordo auctorem habet *Gaëtanum* cardinalem, qui vitâ functus est sub *Clemente VI*, id est, circa medium sæculi XIV.

altaribus adstare voluisti, etc., quam inter collectas pro ipso sacerdote recitamus.

IV. Celebrans ante mensam altaris constitutus, et pro delictorum suorum remissione iterum oraturus, statum supplicis resumit, se corpore inclinans, manusque junctas in altare naturaliter deportat. Tum dicit: *Oramus te, Domine, per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hæc sunt, et omnium Sanctorum, ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen.* Prolaturus quorum reliquiæ manus extendit, easque hinc et inde deponit in altare ad sibi facilius reddendum altaris osculum; extra corporale tamen, ne tactu manuum sordescat. Dicens autem *quorum reliquiæ hæc sunt*, altare deosculatur in medio. Hoc osculum à pluribus consideratur, ut altaris salutatio, et ut signum amoris et devotionis erga Christum qui per altare figuratur; sed cum præscribatur non præcisè in accessu ad altare, sed definitè sub his verbis *quorum reliquiæ hæc sunt*, meliùs dicitur osculum dirigi ad Sanctos quorum ossa in altari quiescunt, ut per illud venerationis suæ pignus, sacerdos opem eorum efficacius obtineat.

V. Hæc oratio in quibusdam missalibus antiquissimis reperitur, et notanter in missali Ultrajecti manuscripto anno 900, quod, juxta *Lebrun*, exstat in archivis ecclesiæ Collegiatæ *S. Bartholomæi* Leodii, in quo legitur: *Sancti Dei, quorum corpora et reliquiæ in his sanctis locis habentur reconditæ*, etc. Illius etiam facit mentionem sacramentarium Gregorianum sæculi XII. Verum non ubique legebatur: undè eam non habent Carthusiani, nec FF. Prædicatores, et eam tantum receperunt Carmelitæ ab anno 1584, id est, à

reformatione Piana, præviè tamen ad hanc missalis reformationem, præsens oratio jam erat inserta in liturgia Romana, siquidem inveniatur in ordine Romano XIV, prout nunc legitur.

Olim etiam varii ritus servabantur in accessu ad altare: in quibusdam Ecclesiis sacerdos osculabatur crucem, quæ in nonnullis missalibus antiquis depicta cernitur. Hujus vestigium retinuit missa episcopalis, in qua episcopus post orationem *Oramus te*, osculatur textum evangelii currentis; in aliis verò, sacerdos in altari crucem cum pollice formabat, quod et retinuerunt Dominicani. Porrò hæc fiebant ad renovandam memoriam et venerationem sacrificii crucis, cujus in missa fit realis commemoratio, sed cum à multo tempore sit erectum ad hunc finem in altari vexillum crucis cum imagine Christi in illa pendentis, ideo hi ritus omittuntur; prohibetque specialiter cær. episc. (1), ne episcopus celebrans crucem hinc in altari delineet.

VI. Circa reliquias Sanctorum, quæ in altari requiescunt: ut hujus origo patefiat, sciendum est quòd sub primis Ecclesiæ sæculis super martyrum sepulchra aræ sacræ communiter erigerentur; datâ autem pace Christianis, templa et altaria, juxta usum primævum, erecta sunt in cœmeteriis, ubi jacebant martyrum corpora (2). Multiplicatis deindè templis, et in his altaribus, ut ritus antiqui specimen servaretur, reliquiæ quædam Sanctorum in altaribus inclusæ sunt: undè sæculo IV *S. Ambrosius*, cum requireretur,

(1) Lib. 2. de miss. solemn., cap. 8.

(2) Card. *Bona*, rer. liturg. lib. 1. cap. 19. n. 5.

ut ecclesiam consecraret, respondit: (1) *faciam, si martyrum reliquias invenero*, cùmque invenisset corpora SS. *Gervasii* et *Protasii*, basilicam ritu Romano consecravit. Attamen non videtur hic usus fuisse universalis: nam in nonnullis missalibus (2) præscribitur, deficientibus in altari reliquiis, omissio horum verborum: *quorum reliquiæ hæc sunt*, quod evidenter probat quædam altaria sine reliquiis erecta olim fuisse. Dico *olim*, quia ex pontificali Romano, et jure canonico (3) constat jam altare sine reliquiis consecrari non posse, ac ita necessaria à multis judicantur, ut sine illis vera non habeatur altaris consecratio.

Porro reliquiæ Sanctorum in altare deponuntur: 1.º Ut sacerdotes in altari ministrantes pro se inveniant speciales ad Deum intercessores. 2.º Ut figuretur communio Sanctorum: unio enim reliquiarum cum altari Christum repræsentante, simul et sacerdotis sacrificantis, non obscuræ exprimit communionem quæ stat inter Ecclesiam triumphantem et militantem. 3.º Per reliquiarum depositionem in altare fit allusio ad illud *S. Joannis* (4): *Vidi subtus altari Dei animas intersectorum*.

VII. Ex dictis de hac prima parte missæ colligi potest, non fuisse simul et semel compactam; sed paulatim additione partis ad partem. Et sic ut primitus esset simplex præparatio sacerdotis non pertinens ad missæ substantiam:

(1) Epist. 54. ad *Marcellinam* sororem.

(2) In missali Rom. Basileæ impresso 1487, in sacerdotali Rom. et in cærem. Carmelit., lib. II. Rub. 53. n. 6.

(3) De consecr. Dist. de fab. et can. *Placuit*.

(4) Apocalyp., cap. 6. v. 9.

undè alii illam agebant in sacristia, prout nunc Remis et in quibusdam Ecclesiis Gallicanis praticatur, saltem dum missa per canonicos cantatur. Alii recitabant has preces eundo ad altare, quod observant Carmelitæ calceati, saltem quoad psalmum *Judica*. Alii hanc partem ponebant ad latera altaris, in cornu epistolæ vel in cornu evangelii, quod ultimum retinuerunt Carthusiani. Multi inter has præparationes non ponebant psalmum *Judica me Deus*: undè nec Carthusiani, nec fratres Prædicatores illum habent, prout nec nos in missis defunctorum, et tempore passionis.

ARTICULUS VI.

De introïtu.

I. ABSOLUTA oratione *Oramus, te, etc.*, celebrans vadit ad latus sinistrum altaris (1), seu ad cornu epistolæ. Potiùs autem celebrans ad hoc altaris latus transit, quàm ad aliud, quia olim sacristiæ communiter erant extractæ juxta

(1) Olim antequam crux in altari cum imagine Christi locaretur, cornu epistolæ dicebatur latus dexterum altaris, à sacerdote stante in illo: sed ex quo crux in medio altaris stetit, cornu epistolæ dictum est latus sinistrum, et cornu evangelii dexterum, nempe ab imagine Christi in cruce pendentis. Creditur *Patritium* episcopum Pientiæ in Italia primum fuisse, qui in tractatu cæremoniarum Romanarum sub anno 1488, et impresso primâ vice sub nomine *Marcelli* 1516, vocaverit cornu epistolæ latus sinistrum altaris: hunc secutus est postea *S. Pius V*, et deindè omnes auctores. Hæc dicta sint, ut cautè legantur auctores antiqui: dicunt enim latus altaris sinistrum quod dextrum vocamus.

cornu epistolæ (1), et consequenter necessaria ad celebrationem, uti thus in missa solemni, commodiùs indè ad celebrantem deferbantur; ideoque episcopi et Carthusiani sub missa solemni sedent in presbyterio juxta cornu epistolæ.

*M. B.
missis 9.
quem fuerunt
cum cruci
acta se
us sinistra
ra altari
aristem
missale.*

II. Olim celebrans dicturus introitum se signabat, dicens: *In nomine Patris*, etc.; quod retinuerunt Dominicani, se signando equidem in medio altaris, sed saltem immediatè ante introitum. Verùm praxis moderna Ecclesiæ Romanæ, et aliarum communiter non ampliùs habet verba *in nomine Patris*, sed solùm crucis signum sub initio introitùs. Porrò celebrans hìc crucis signo se munit ex usu antiquissimo se signandi ad initium cujusvis operis: olim quippe missa hâc parte inchoabatur: omittit autem *in nomine Patris*, quia jam ante psalmum *Judica* sub dictis verbis se signavit, quod antiquitùs locum non habebat, dum scilicet dictus psalmus in sacristia, vel saltem extra altare, legebatur.

In missis de *requiem*, sacerdos hoc crucis signum format versùs librum, quasi, inquit *Gavantus*, signaret defunctos, pro quibus celebrat; et hâc crucis inversione sub his verbis *requiem æternam dona eis, Domine*, innuitur celebrantem sub his missis, non tam sibi, quàm defunctis benedictionem et indulgentiam quærere; quamque demonstrat venire à meritis Christi crucifixi.

III. Introitus et alia quæ sequuntur usque ad offertorium, exceptis *munda cor meum* et *per*

(1) *Lebrun*, de cær. miss., p. 2. art. 1. n. 1.

evangelica dicta, proferuntur altâ voce, quia continent vel instructionem populi, vel Dei glorificationem, aut vota populi; adeoque convenit, ut per vocem intelligibilem fidelibus communicentur, et ab illis audiantur.

IV. Post introitum, sequitur versus, qui in missis solemnibus inservit vel ad excitandam lætitiâ, vel compunctionem, seu spiritum pœnitentiæ; in festis enim cantu levi et læto persolvitur; aliis verò mœrori consecratis diebus, et in missis de *requiem* tono lugubri cantatur. Additur deindè *Gloria Patri*, etc. Cùm olim pro introitu psalmus integer legeretur, aut cantaretur, regulâ generali concludebatur dicto versu *Gloria Patri*, et ex quo introitus reductus fuit ad unum vel alterum versum psalmi, retenta fuit hæc doxologia, quæ optimè initio missæ congruit, ad referendum hoc opus in gloriam SS. Trinitatis. Hic lætus et festivus versus *Gloria Patri* prætermittitur in missis, quæ modo lugubri celebrantur; id est, de tempore passionis, ac de *requiem*. Tandem repetitur introitus; est enim species antiphonæ: undè S. Gregorius illam vocat *antiphona ad introitum*. Porrò de natura antiphonæ est, ut à diversis choris repetatur; siquidem antiphona Latinè reddatur *vox contra sonans*, quatenus ab uno choro semel cantatur, et ab alio repetitur, sic ut vox unius chori sonet contra vocem alterius. In missis solemnioribus olim ter repetebatur ad majorem officii celebritatem, vel, juxta *Lebrun*, ut tempus sufficiens pro incensationibus fieret. Hunc antiquum morem ter introitum repetendi servârunt in festis majoribus Carmelitæ calceati, et filii S. Norberti,

8..

sed hi secundâ vice mediam tantum partem ponunt introitus, adeoque illum recitant per modum responsorii.

V. Introitus, si spiritualiter spectetur, figurat suspiria patriarcharum circa Messiae adventum; ideoque tempore adventus ob instans Nativitatis Dominicæ festum, in introitu vota illorum et nostra expressius aperimus; dominicâ enim secundâ clamamus: *populus Sion, ecce Dominus veniet*, etc. Et pluries illo tempore: *rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum: aperiatur terra, et germinet Salvatorem*. Huic rationi optimè etiam congruit introitus repetitio ad iterata patrum suspiria recolenda.

VI. Hæc antiphona dicitur introitus et ab aliis *ingressa*, quia pars est, quâ olim missa incipiebat, vel quia jam intonatur in missa solemnè ad ingressum celebrantis in sanctuarium. Ante tempora *Cælestini* Papæ, id est, ante sæculum V, nulla mentio in auctoribus, qui de liturgiis scripserunt, introitus, sed solum loquuntur de lectionibus per quas missa incipiebat, uti incipit officium feriæ sextæ in parasceve. Prior ergo *Cælestinus* instituit ut ad initium missæ psalmus integer cantaretur. Hunc psalmum deinde *S. Gregorius* reduxit ad antiphonam cum uno versu: porrò ad formandum missæ introitum hanc regulam secutus est. Quando introitus assumitur ex initio psalmi, illud quod immediatè sequitur, in versum assumitur. Quando autem introitus trahitur è corpore psalmi, illius initium pro versu ponitur. Hæc regula quasdam patitur exceptiones, ut videre est in missis dominicæ primæ adventus, transfigurationis, *S. Francisci Xaverii*, *S. Ignatii*,

et aliis quibusdam. Quamvis etiam introitus olim ex solis psalmis formarentur, successu temporis Ecclesia nonnullos composuit ex aliis Scripturæ libris; tales sunt introitus missarum Nativitatis Domini: *Puer natus est nobis*: Ascensionis, *vir Galilæi*: Pentecostes, *Spiritus Domini*: SS. Petri et Pauli, *nunc scio*: dedicationis Ecclesiæ, *terribilis*, etc. Imò inter introitus, aliqui sunt compositionis Ecclesiasticæ, ut in missis B. M. V. *Salve, sancta Parens; gaudeamus omnes*, etc.

ARTICULUS VII.

Kyrie, eleïson.

I. DICTO introïtu, celebrans redit ad medium altaris, ubi, salutatâ cruce, dicit alternatim cum ministro *kyrie, eleïson*. Olim in cornu epistolæ hæc oratio fiebat, quia tunc temporis nihil sacerdotem ad altare retrahebat; sed ex quo imago crucifixi fuit in medio altaris collocata, sacerdotem Deum alloquentem naturaliter ad se revocavit, ut hæc oratio ante faciem Christi funderetur. In missa tamen solemni stamus sub hac oratione in cornu epistolæ, ut sacerdos et ministri illam alternis vicibus facientes valeant, choro non obstante, se invicem audire. Morem antiquum dicendi *kyrie* in omni missa juxta cornu epistolæ retinuerunt Carthusiani, Carmelitæ et Fratres Prædicatores.

II. *Kyrie, eleïson* vox est Græca, quæ Latinè redditur *Domine, miserere*, indèque non improbabili-ter deduci potest hanc formam orandi ab Ecclesia Græca transiisse in Latinam. Interim hæc

oratio est antiquissima, cùm in paginis tum veteris, tum novi Testamenti inveniatur; Isaias enim (1), cæcus prope Jericho (2), mulier Chananæa, et decem leprosi (3) illam ad Deum habuerunt. Estque vox naturalis hominis in tribulatione aut periculo constituti, optimèque sonat in ore celebrantis suæ indignitatis conscii, et infirmitatibus innumeris circumdati, pariter et in ore populi ob eandem rationem. Verùm, ut hæc oratio suum referat effectum, necesse est ut eâ fide, humilitate, ac fiducia promatur, quibus personæ suprâ memoratæ ad Deum clamaverunt.

III. Primitus non erat definitum, quoties *kyrie* repeteretur. Res pendebat à nutu celebrantis, qui aliquo signo finem innuebat (4). *Alcuinus* hoc signum tribuit diacono faciendum, *ad nutum*, inquit, *diaconi, kyrie, eleïson*. Olim etiam inter *kyrie* et *eleïson* aliquid interponebatur, v. g., in festis B. M. V. dicebatur: *Kyrie, virginitatis amator inclyte, Pater et Creator Mariæ, eleïson. Kyrie, qui nasci volens natum de Virgine corpus elegisti Mariæ, eleïson. Kyrie, qui septiformi repletum pneumate pectus consecrasti Mariæ, eleïson*. Eiusdem formæ pro aliis festis et dominicis inveniuntur in missalibus impressis sub *Paulo III*. Ast in missalibus subsequentibus, resecatis his additionibus, mos restitutus est simpliciter dicendi novies *kyrie*: porrò hic numerus tendit ad imi-

(1) Cap. 33.

(2) *Matth.* 20. v. 50.

(3) *Matth.* 15. v. 22.

(4) *Martene*, de antiquis rit., lib. 1. cap. 4. art. 3. n. 5. et *Mabillon*, in 1. ord. Rom., tit. 6. n. 5.

tandam psalmodiam Angelorum, qui in novem choros distribuuntur. Sub illis autem ter clamamus ad Patrem dicentes *kyrie, eleïson* contra triplicem humanam miseriam, scilicet ignorantiae, culpæ et pœnæ (1), et ob eandem rationem ter ad Filium *Christe, eleïson*, et ter tandem ad Spiritum Sanctum. Porrò idem numerus respectu uniuscujusque Personæ divinæ servatur, ut earum paritas ostendatur.

IV. Apud Græcos, celebrans non dicit hanc orationem, sed solus populus; nec in illa ponitur *Christe, eleïson*, sed absque ulla mutatione dicitur *kyrie, eleïson*. Ambrosiani verò, ut ex eorum libris constat, dicunt ter *kyrie* post hymnum angelicum, ter post evangelium, terque in fine Missæ.

V. Antiquissimus est usus dicendi in initio missæ hanc litaniam (2): Romæ, quidem et per totam Italiam anno 529 dudum receptum erat ut in missa diceretur; prout constat ex Conc. II, Vasensi (*Vaison*) habito dicto anno 529; et quod de hac oratione (3) loquitur tamquam de re usitata. Quidam hunc morem probare conantur ex *S. Augustino*, sed ex epistola (4), quæ in ultimis editionibus fuit amandata inter apocrypha *S. Augustini* opera; adeoque è qua nihil deduci certò potest. Ritus novies repetendi hanc oratio-

(1) *S. Thomas*, 3. p. q. 85. art. 4.

(2) Sic *kyrie* vocantur à *S. Benedicto*, in sua regula, cap. 9; in ord. 1. Rom. n. 9, et in liturgiis Græcis *SS. Jacobi, Basilii*, et *Chrysostomi*.

(3) Canone 3.

(4) Hæc epistola in antiqua editione stat in appendice operum. *S. August.*, t. 2. n. 15, pag. 44.

nem communiter tribuitur *S. Gregorio*, qui an. 599 officium Romanum correxit (1). Usus autem interponendi versus harmonicos inter *kyrie* et *eleïson*, cujus exemplar retulimus suprà n. III, juxta cardinalem *Bona* (2), non reperitur ante sæculum XIII, et penitus extinctus est à *S. Pio V*, dum missale Romanum reformavit.

VI. Quæri hîc potest, quare in liturgia Latina conserventur verba Græca *kyrie*, *eleïson*, et etiam Hebræica *amen*, *hosanna*, *sabaoth*? 1.º Ut significetur unum et idem esse sacrificium apud omnes linguas et gentes; linguæ quippe Latina, Græca et Hebræica sunt linguæ matrices, quæ sub se alias omnes comprehendere possunt; adeoque per illas linguarum universitas rectè designari potest, et consequenter vocatio omnium gentium ad participationem sacrificii incruenti corporis et sanguinis Christi. 2.º His linguis utitur Ecclesia Latina in memoriam et venerationem tituli crucis, qui Latinè, Græcè et Hebræicè habebat: *Jesus Nazarenus*, *Rex Judæorum*. *Alcuinus* hîc errat dicens: *kyrie*, *eleïson*, *Latini græcè, et Græci latinè proferunt*; constat enim ex Græcorum liturgiis, in iis haberi *kyrie*, *eleïson*.

(1) Vide illius officium in breviario Rom. sub 12 Martii.

(2) *Rer. liturg.*, lib. 2. cap. 4. §. 2.

ARTICULUS VIII.

De Hymno angelico.

I. CELEBRANS dictis *kyrie*, ibidem, id est, in medio altaris dicit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis*. Idem quippe objectum, quod illum traxit à cornu epistolæ ad medium, nempe imago crucifixi, ad dicendum *kyrie*, ipsum ibi retinet sub hymno angelico. Olim hæc Dei glórificatio fiebat in cornu epistolæ (1), quia tunc non erat arbor crucis in medio altaris plantata, et aliundè liber ibi aderat ad illius lectionem. Morem legendi hunc hymnum in cornu epistolæ retinuerunt episcopi sub missa solemnè, pariter et Carthusiani, necnon FF. Prædicatores sub omni missa: hi tamen accedunt ad medium altaris ut ante faciem crucifixi dicant *Gloria in excelsis Deo*, sed mox ad librum redeunt, ut reliquum hujus hymni in libro legentes absolvant. Ritus autem Romanus, juxta quem legitur in medio hymnus angelicus, vigeat sæculo XIII; siquidem de eo loquatur *Durandus* (2).

II. Sacerdos dicens *Gloria* extendit et paululùm elevat manus, estque gestus naturalis personæ aliam magnificentis. Elevat autem manus solùm usque ad humeros, et non ultra, ut gestus maneat intrà limites modestiæ, et non liberior et fractior videatur. Deindè proferens *in excelsis*, manus demittit et jungit ante pectus, ut majori cum vene-

(1) Ordo Rom. 1. ubi habetur, ut episcopus è sua sede ad populum conversus hunc hymnum intonet.

(2) Lib. 4. cap. 15.

ratione caput inclinet sub sanctissimo nomine Dei. Dum ergo dicit *Deo*, caput humiliat coram cruce, ut non tantum verbo, sed et facto Deum glorificet. Hic semel pro semper notari debet, exposito SS. Sacramento, inclinationes, quæ aliàs ad crucem fiunt, esse dirigendas ad Christum in sacramento præsentem: umbram enim fugat tunc veritas.

III. Manibus junctis, et semper clarâ voce prosequitur solus, et non alternatim, *et in terra pax hominibus*, et reliquum usque in finem; nulla hujus ratio reddi potest, nisi quod primitus *Gloria in excelsis*, pariter et *Credo* cantarentur à principio in finem simul ab utroque choro, quod hodiedum cernitur practicari à Carthusianis, item in cathedrali Lugdunensi et Parisiis; undè usus mansit ut totus hymnus à solo celebrante recitetur, quamvis jam in missa solemni ad choristarum sublevationem alternatim absolvatur. Sub his verbis: *adoramus te — gratias agimus tibi — suscipe deprecationem nostram — Jesu Christe*, exhibetur cruci reverentia capitis, ad exprimendas pias animi affectiones quas citata verba important et simul suscitant: verbum quippe *adoramus* importat actum adorationis, *gratias agimus tibi* actum gratitudinis, *suscipe deprecationem nostram*, et *Jesu Christe* (de quo scriptum est: *In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum*), actum humiliationis: porrò capitis reverentiâ sub illis verbis variæ illæ animi affectiones exterius exprimuntur. In fine dum profertur *cum sancto Spiritu*, etc., fit signum crucis ad normam primorum fidelium, qui se in fine cujusvis operis signabant: hanc crucem aliundè excitat mentio SS. Tri-

nitatis, quæ fit in citatis verbis, et cujus expressio frequenter crucem habet annexam.

IV. Sensus hujus hymni est sat perspicuus; ideoque illius explanationem prætermittimus. Solum obscuritas quædam cernitur in his verbis: *gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam.* Quippe gratiarum actio supponit beneficium, de quo nihil in hoc versu. Sed si res paulò propiùs spectetur, objectum gratiarum actionis hic invenitur; nam gloria de quæ hic, illa est quam Deus acquisivit salvando mundum; ita ut sensus sit; *gratias agimus tibi ob beneficium redemptionis humanæ, quo magnam gloriam tibi fecisti.* Hoc sensu gloria Dei sæpè sumitur ab Apostolo (1).

V. Angelos primæ partis hujus hymni auctores fuisse constat ex evangelio (2), ubi legitur eos, tnato Domino, eecinisse: *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Reliquum, juxta synodum Toletanam (3), fuit compositum à doctoribus ecclesiasticis; à quo autem, vel à quibus, incertum est, inquit cardinalis *Bona* (4). *Alcuinus*, quem multi sequuntur, auctorem illius facit *S. Hilarium*, episcopum Pictaviensem, qui floruit sæculo IV. Alii verò *S. Telesphorum* Papam, qui vixit sæculo II, et tandem quidem *Symmachum*, qui floruit sub fine V sæculi. Sed cum neque hi, neque illi suæ assertionis solida adfe-

(1) *Omnes enim, ait, peccaverunt, et egent gloriâ Dei, ad Rom. 3. v. 23.* Item: *Vocavit nos propriâ gloriâ et virtute, 2. Petri. cap. 1.* Et iterùm *Isaiæ cap. 50. v. 18. Exaltabitur par-cens vobis.*

(2) *Luc. cap. 2.*

(3) *Tom. 4. cap. 12.*

(4) *Rever. liturg., lib. 2. cap. 4, n. 4.*

rant argumenta ; imò constet hunc hymnum non inveniri in libris *S. Hilarii*, cui communiùs tribuitur, prudentiùs cum concilio Toletano intrà limites incertitudinis res præsens stare debet. Autumat *Grancolas* (1) hunc hymnum ad Latinos à Græcis (2) permanasse.

VI. Hic hymnus mox à suo ortu non fuit in missam invecus ; primò enim locum invenit inter matutinas preces, proùt eruitur ex antiquis libris in Gallia et Anglia impressis, ubi, referente *P. Lebrun*, sic ponitur : *hymnus ad matutinas*, scilicet preces. Pariter in libris Græcorum *Gloria in excelsis* fert sequentem titulum : *laus Angelorum, sive hymnus matutinus*. Usus hujus doxologiæ in missa monumentum invenitur in antiquissimo libro manuscripto, sine data et nomine auctoris, cui titulus *Speculum Ecclesiæ*, de quo *Benedictus XIV* (3) et in quo statutum legitur, ut hymnus angelicus in prima missa Nativitatis Domini Græcè, et in secunda Latinè cantetur ; sed indè nihil certi possumus deducere quoad ortum hujus orationis in missa. Interim in fine sæculi VI sic *S. Gregorius* usum illius ampliavit, nempe ut cantaretur ab episcopis diebus dominicis et festivis, et à simplicibus sacerdotibus semel tantùm in anno, nempe in Paschate. Res ita permansisse videtur usque ad medium XI sæculi ; idque conjicitur ex querela *Bernonis* Augiensis, in eo fundatâ, quòd semel tantùm in anno

(1) Antiquæ liturg., tit. *Gloria in excelsis*.

(2) Græci vocant hunc hymnum, magnam doxologiam ad distinctionem minoris, scilicet *Gloria Patri et Filio, etc.*

(3) Tom. 1. de sacrif. miss. Sect. 1. n. 105.

hymnus angelicus à presbyteris diceretur. Verum sub hujus sæculi finem *Micrologus* (1) apertè testatur hunc hymnum in dominicis et festis à presbyteris recitari consuevisse. Tandem à *S. Pio V* rubrica fuit condita, ut, quotiescumque in officio dicitur hymnus *Te Deum*, in missa respondente officio dicatur et hymnus Angelicus; et rectè, si officium deceat hymnus lætitiæ *Te Deum*, et missam decet hymnus exultationis *Gloria in excelsis*: quando autem omittitur in officio *Te Deum*, pariter et in missa omittitur *Gloria in excelsis*: hinc in adventu, à septuagesima usque ad Pascha, in Vigiliis et feriis quatuor temporum, id est, quando officium ritu luctuoso celebratur, hymnus angelicus locum in missa non habet; et ob eandem rationem in missis defunctorum non ponitur. Hæc regula tamen suas habet exceptiones: nam 1.º feriâ 5 in cœna Domini, et sabbato sancto dicitur, quia illis diebus missa est solemnis, et in albis celebratur. Olim tamen dictâ feriâ quintâ solus episcopus chrisma conficiens dicebat hymnum angelicum, et non alii, uti probat epistola *Nicolai I*, qui scribens ad *Rodolphum* episcopum Bituricensem, solùm loquitur de episcopis in ordine ad hunc hymnum dictâ feriâ recitandum, sed sensim ob diei solemnitatem aliqui hunc hymnum cantaverunt, donec à *S. Pio V* recitatio illius præscripta fuerit omnibus illo die celebrantibus. 2.º Dicitur in omnibus missis votivis solemnibus ex gravi et publica causa, quæ in vestibus non violaceis celebrantur, quia ob magnam earum

(1) De Eccles. observat., cap. 2. et 46.

solemnitatem sunt quodammodo festivæ. 3.º Dicitur in omnibus votivis Angelorum, eò quòd sint hujus hymni auctores, saltem primæ et principalioris partis. 4.º In votivis B. M. quæ in sabbato celebrantur, quia dies sabbati est consecratus cultui Mariano, et consequenter censentur quodammodò festivæ. Hic fulti auctoritate *Etherii Oxomensis* episcopi, et *Beati* sacerdotis Hispani, advertunt *Grancolas* (1) et *Dominicus Georgii* (2), infra sæculum VIII hunc hymnum in Hispania dominicis et festivis diebus à simplicibus sacerdotibus recitari consuevisse.

VII. Superest, ut dicamus de quibusdam additionibus intercalaribus, quibuscum recitatum fuit ante tempora Tridentini concilii, et cantatum *Gloria in excelsis*: illarum accipe exemplar pro festis B. M. V. *Domine Jesu Christe, Spiritus, et alme orphanorum Pater, Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris, primogenitus Mariæ Virginis Matris... Suscipe deprecationem nostram ad Mariæ gloriam. Tu solus Sanctus, Mariam sanctificans; tu solus Dominus, Mariam gubernans; tu solus Altissimus, Mariam coronans.* Plura alia ejusdem formæ additamenta inveniuntur profestis dominicæ Nativitatis, dedicationis ecclesiæ, etc., sed cùm essent producta ex indiscreta particularium devotione, Ecclesia post concilium Tridentinum illa delevit, et hymnum angelicum ad suam simplicitatem, quâ etiam nunc legitur, reduxit.

(2) Antiq. liturgiæ, tit. de *Gloria in excelsis*.

(2) Tom. 2. lib. 3. cap. 13. *Georgii* intimus *Bened.* XIV in lucem dedit opus laboriosè et eruditè scriptum de rebus liturgicis, et in tres tomos in-4.º divisum.

ARTICULUS IX.

De salutatione populi et oratione.

I. FINITO hymno , vel , si non dicatur , absolutis *Kyrie* , celebrans deponit hinc et indè manus in altare , ut faciliùs se inclinet et erigat , aut sensu altiori , ut Christum per altare figuratum conplectatur : osculum autem considerari potest ut salutatio altaris vel ut signum amoris erga Christum , aut juxta alios , sacerdos osculans altare quasi accipit à Christo benedictionem quam impertiturus est populo illum salutando. Conversus autem ad populum extendens et mox jungens manus , ac demissis in terram oculis , dicit : *Dominus vobiscum*. 1.º Se vertit ad populum ex decentia , quæ exigit ut faciem vertamus ad eos quos alloquimur. 2.º Extendit et jungit manus ; estque hic gestus per se loquens , quo scilicet sacerdos se ex affectu sincero et vehementi bonum populo apprecari innuit. 3.º Habet oculos demissos præ modestia , de qua scriptum est ab Apostolo : *modestia vestra nota sit omnibus hominibus* , et hæc sententia locum præsertim invenit in actione publica sacrificii. Utinam submissa huic præcepto omnes parerent ; populus aspectu multorum liberiore quotidie non offenderetur. Cùm sacerdos ad orandum non minùs gratiã indigeat quàm populus , respondet minister *et cum spiritu tuo*. Olim et usque ad tempora *Durandi* , seu usque ad sæculum XIII , hoc responsum fiebat ab omni populo , sed jam convenientiùs et reverentiùs fit à solo ministro nomine omnium.

II. Hæc salutatio à Carthusianis, et Dominicanis fit in cornu epistolæ; cùm enim ibi dicant *kyrie* et hymnum angelicum, ibidemque recitaturi sint collectam, nulla ratio eos ad medium retrahit. Carthusiani, dicentes *Dominus*, caput cruci inclinant, hoc signo exprimentes quis sit ille Dominus, simulque deprecantes capitis humiliatione, ut salutatio suam habeat effectum; deindè versi ad populum quem alloquuntur, addunt *vobiscum*; sicque motus celebrantis duplicem respectum hujus orationis exprimit, nempe ad Deum et populum. Græci relativè ad hæc verba hymni angelici *Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis*, loco *Dominus vobiscum* dicunt *pax omnibus*. Ob eandem rationem episcopi hic populum salutant dicendo *pax vobis*; hæcque formula in ore ipsorum optimè sonat, quia ob plenitudinem potestatis, quam in ordinatione receperunt, perfectiùs quàm sacerdotes Christum repræsentant, qui pacem mundo attulit, quique post gloriosam resurrectionem illam dedit apostolis, dicens: *pax vobis*; adeoque ipsis specialiter competit pacem illam, quam mundus dare non potest, in fideles effundere. Sed cùm illud donum sit festivum, episcopi in diebus mœroris et pœnitentiæ, id est, in adventu, quadragesima, et missis defunctorum, omisso *pax vobis*, dicunt ut alii *Dominus vobiscum*. Porrò hæc salutatio collectis præmittitur, quia, ut vota sacerdotis et populi valeant ad Deum ascendere, oportet ut à Deo ex ipsius gratia procedant; hinc congruè admodum ante orationes donum divinæ gratiæ sibi mutuò apprecantur.

III. Si altare sit ad Orientem, inquit missale Romanum, versùs populum, celebrans, osculato altari in medio, expansis et junctis manibus, salutatur populum absque sui conversione, quia in hoc supposito habet populum contra faciem suam. *Micrologus*, ex hac salutatione in plurali concepta, concludit duarum saltem personarum sub sacrificio præsentiam requiri, ut citata verba verificentur, tribuitque *Anacleto* et *Soteri* sequentem circa hoc ordinationem, nempe ut *sacerdos semper, vel tertius esset, dum missas celebraret*. Sed à multo tempore sufficit unicus minister, diciturque in plurali *Dominus vobiscum, orate fratres, habemus ad Dominum*, etc., quæ omnia satis verificantur, eò quòd minister sit persona totius Ecclesiæ.

IV. Olim, et quidem sub ætate *Durandi* (1) in quibusdam ecclesiis celebrans, dicto *Dominus vobiscum*, se ad altare denuò convertibat, et inclinans caput ibidem dicebat *oremus*; sed in aliis, et nunc in omnibus, salutato populo, statim transit ad cornu epistolæ, ut ibi salutet crucem dicendo *oremus*, moxque sine interpolatione subjungat orationem. Constitutus ergo in dicto cornu conversus ad crucem, eam salutatur capitis inclinatione et simul manus extendens ac illicò conjungens dicit *oremus*. 1.º Salutans crucem, facit actum reverentiæ, quam natura inspirat omnibus, qui se parant ad sermonem habendum cum superiori. 2.º Caput inclinans simul facit actum humilitatis. 3.º Extendens et jungens manus exprimit actum devotè supplicantis, et

(1) Lib. 4. cap. 14. in fine.

auxilium quærentis, quæ omnia continent optimam dispositionem ad orandum. Tandem dicens *oremus*, se et populum excitat ad orationem. Deindè ex antiquissimo more (1) extensis manibus legit collectam. Imò primi fideles non simpliciter manus extendebant, sed et brachia, ita ut referrent imaginem Christi in cruce orantis (2), quod et practicant hodiedum plures religiosi, prout suo loco videbitur. Verùm, ut omnis indecentia in hac manuum et brachiorum expansione tolleretur, sapienter cautum est ut manus extensæ humerorum altitudinem non superent, nec eorundem latitudinem excedant, et reverà hoc sapit majorem modestiam, de qua *Tertullianus*: *Cum modestia et humilitate.... ne ipsis quidem manibus sublimiùs elatis, sed temperatè et probè elatis.*

V. In fine dicens *per Dominum nostrum*, jungit manus, ut in statu supplicis caput cruci inclinet sub venerando nomine *Jesu*: quando autem concluditur oratio *qui vivis*, vel *qui tecum vivit*, etc., absque capitis inclinatione manus jungit, dicens: *in unitate*, ut hoc facto exprimat unitatem Deitatis in tribus Personis realiter distinctis. Juxta ordinem Romanum XIV (3), manus jungebantur præcisè sub his verbis *per omnia sæcula sæculorum*, et secundùm missale novum Ecclesiæ Parisiensis, quovis modo concludatur collecta, manus sub his verbis *in uni-*

(1) Sic oravit *Moyse*s sub prælio cum *Amalec*, Exod. 17. Ejusdem ritûs sæpè fit mentio in psalmis, et notanter ps. 27, 133 et 141. Item 1. ad *Timoth.* cap. 2. v. 8.

(2) *Prudentius*, hymno de Sanctis.

(3) Num. 53, de colore nigro.

tate semper junguntur. Minister approbans et confirmans orationem à sacerdote factam nomine omnium respondet *amen*. Nec hic fideles approbantes aliquid, quod sæpè non capiunt, imprudentiæ sunt arguendi; sciunt enim quidquid Ecclesia à Deo petit esse ipsi gratum et sibi utile; adeoque audacter et securè in omnibus *amen* respondent.

VI. Oratio quæ et *collecta* et *benedictio* dicitur; *collecta*, quia celebrans in oratione colligit vota fidelium ut illa Deo offerat; *benedictio*, quia in illa postulat cœlestes gratias pro populo; oratio, inquam, à vetustissimis temporibus in usu fuit ad missam, atque ab apostolica traditione dimanat; de ea enim meminit liber constitutionum apostolicarum (1). Ad initium sæculi V, celebrans pro sua devotione, vel necessitate currente, proùt discimus à *S. Justino* (2), orationem componebat. Sed cùm prudenter esset timendum ne indiscretione ministrorum vota incongrua collectis adjicerentur, decretum fuit in concilio Milevitano (in Africa) (3) anni 416, ut deinceps nulla oratio in missa adhiberetur, nisi probata in concilio episcoporum. Undè credendum orationes quibus utimur in officiis et missis de tempore, quæ partim à *S. Gelasio* sub

(1) Hæ constitutiones equidem fuerunt reprobatae à synodo quini-sexta, sive in Trullo Can. 2, sed, ut aiunt patres hujus synodi, quia *olim ab iis qui à fide aliena sentiunt ad Ecclesiæ exitium adulterina quædam et à pietate aliena introducta sunt*. Quod non impedit veritatem multorum utilium quæ in illis referuntur; undè etiam ab auctoribus insignibus sæpè citantur.

(2) Apol. 2.

(3) Can. 12.

fine sæculi V, partim à *S. Gregorio* sub fine VI prodierunt, et quæ in eorum sacramentariis leguntur, fuisse in conciliis approbatas (1). Dixi *de tempore*, quia in officiis et missis novis Sanctorum, orationes componuntur et ab Ecclesia approbantur, dum calendario adscribuntur.

VII. Numerus collectarum ita variavit ut nihil certi circa illum statui possit; ut tamen aliquod saltem lumen in illa obscuritate affulgeat, ordinem temporum utcumque sequemur; et imprimis sub sæculo IV videtur quòd orationes, quas recitamus feriâ VI majoris hebdomadæ, frequenter sub missa recitarentur, et forsàn quotidie, ut autumat *Grancolas*; et reverà de illis fit mentio in constitutionibus apostolicis, et apud *S. Chrysostomum* (2), qui et illius usum frequentem lococitato insinuat. Eodem sæculo IV in conc. Laodiceno (3) tres statutæ sunt, una pro catechumenis, altera pro pœnitentibus et tertia pro fidelibus. Pariter in missali Gelasiano, quod prodiit circa finem V sæculi, tres pro qualibet missa orationes præscribuntur; sed *S. Gregorius* circa finem sæculi sequentis unam tantùm collectam statuit, et *Amalarius* auctor sæculi IX testatur (4) se Romæ inquisivisse et didicisse unam tantùm in missa dici

(1) *S. Leo* præviè ad tempora horum Pontificum multas orationes eleganti stylo elaboraverat; sed auctæ et restitutæ à *SS. Gelasio* et *Gregorio*, his tanquam earum auctoribus tribuuntur.

(2) Homilia 2 ad Cor. et in alia de Adam et Eva. Hæc ultima homilia legitur in operibus *S. Prosperi*: undè quidam putant auctorem illius non esse *S. Chrysostomum*, sed antiquum patrem latinum.

(3) Can. 19.

(4) Lib 1.

orationem, exceptâ missâ secundâ in Nativitate Domini in qua fiebat memoria *S. Anastasiæ*, et hoc ita exactè servatum fuisse, ut, in occursum duarum festivitatum, uti in die *SS. Petri et Pauli*, ne duæ orationes in eadem missa simul miscerentur, duæ missæ illo die cantarentur, una de *S. Petro* et altera de *S. Paulo*. Verùm circa finem XI sæculi, ritus de unitate orationis immutatus videtur, nam *Micrologus* (1), cùm dixisset unam tantùm in missa dici debere orationem, sicuti una tantùm dicitur epistola, et unum evangelium, addit, quòd si plures legi debeant, tres aut quinque, aut ad summum septem sint legendæ, ubi apertè supponit in missa pluralitatem orationum tunc locum invenisse. In numero impari earum, quem sequuntur plures Ecclesiæ et etiam in certis casibus Ecclesia Romana (pro quo vide proxime missæ tom. I. art. I. n. IV.), in illo, inquam, numero impari inveniuntur sensus mystici: tres dicuntur in memoriam orationis Christi in horto Gethsemani, quanti ter fecit ad Patrem. Quinque in honorem quinquè vulnerum Christi, et septem, quia septem sunt petitiones in oratione dominica. Hanc orationum pluralitatem sæculo XII confirmat *Hugo à S. Victore* (2) his verbis: *In Romana Ecclesia una tantùm dicitur collecta, nisi alicujus Sanctorum interveniat solemnitas, cujus memoria fiat. Alii pro diversis usibus Ecclesiarum in celebrationibus publicis missarum multiplicant orationes; et pro voluntate propria in privatis. In ordine Romano XIV in missis ritus inferioris plures præscribuntur ora-*

(1) Cap. 6.

(2) Can. 15.

tiones, et interdùm eædem quas legimus ex missali reformato *S. Pii V.*

VIII. Certis diebus pœnitentiæ infra annum, celebrans dicto *oremus*, addit *flectamus genua*: ad hanc vocem ipse celebrans et omnes adstantes genua flectunt; dicto autem absque mora *levate*, à ministro, omnes surgunt, et celebrans more solito orationem prosequitur. Hic ritus congruit diebus pœnitentiæ, ut fideles communi humiliatione Deum placare valeant. In missa cantata cum ministris, diaconus cantat *flectamus genua*, et subdiaconus mox addit *levate*. Olim diaconus faciebat utramque monitionem, seu clamabat *flectamus genua* et *levate*: ad prima ipsius verba omnes flectebant, et per aliquod temporis intervallum in silentio orabant, dum autem addebat *levate*, omnes surgebant. Hæc praxis, ut utraque monitio fieret à diacono, adhuc vigeat sæculo XVI, prout patet ex ritualibus et sacramentariis illius ætatis, nuncque viget apud Carthusianos et Dominicanos. At, inquit cardinalis *Bona*, ex quo nulla ampliùs ponitur mora inter unam et alteram monitionem, statutum est ut prima fiat à diacono et altera à subdiacono, idque ne diaconus utramque subito faciens, scilicet flectendi et se erigendi, contraria videatur proferre. Olim etiam, primis nempe sæculis, sacerdos objectum orationis populo nuntiabat post *oremus*: cujus antiquissimi ritus Ecclesia vestigium retinuit feriâ sextâ majoris hebdomadæ; oraturus enim sacerdos pro Ecclesia, priùs dicit: *oremus, dilectissimi nobis, pro Ecclesia sancta Dei, ut eam Deus*, etc.: tùm dictis *oremus, flectamus genua* et *levate*, subjungit orationem *Omnipo-*

tens, etc. : idem agit pro Papa, pro episcopis, et aliis.

IX. Hic tandem advertere licet, quòd olim certis diebus, quando nempe ante missam fiebat processio seu litania, missa inciperet per collectam : ita sacramentarium *Gregorii Magni* in initio, quod citat *Mabilonius* in I ordinem Romanum (1). Et hinc oriri videtur, quòd Carnuti in Gallia, et quibusdam aliis locis campanæ solùm pulsantur sub hymno angelico ad convocandum populum ; hujusque exemplar habemus in liturgia Romana, feriâ V in cœna Domini, sabbato sancto, et vigiliâ Pentecostes, quibus diebus fideles sub hymno angelico ad missam pulsu campanarum convocari videntur.

ARTICULUS X.

De epistola, graduali, tractu et prosis.

I. Post orationem, sequitur instructio, seu epistola ad cujus lectionem celebrans manus deponit in librum, vel altare ; hæc manuum depositio fit ad majorem celebrantis commoditatem ; et altiori sensu est symbolum operis ; ita ut sacerdos manus deponens in librum vel altare innuat satis non esse legem audire et scire, sed insuper manum esse operi admovendam, ut lex impleatur ; non enim auditores, sed factores legis apud Deum justificantur. In fine respondetur *Deo gratias* ; æquum quippe est pro tanto beneficio, quo Deus *annuntiat verbum suum Jacob, justitias*

(1) Tit. 6. n. 3. seu pag. 41.

et judicia sua Israël, grates Deo reddere; nam non fecit taliter omni nationi, et judicia sua non manifestavit eis (1). Hæc formula gratiarum actionis sumpta est ex Apostolo (2), qui sæpè eâ utitur in epistolis.

II. Mos legendi epistolam in missa originem ducit à ritu Judæorum, qui singulis sabbatis à lectione librorum *Moysis* et prophetarum conventuum suorum sumebant exordium, estque coævus sacrificio; nam de eo fit mentio in actis apostolorum (3) his verbis: *erant perseverantes in doctrina apostolorum, et communicatione fractionis panis et orationibus*. Hujusque ritûs traditionem nobis servavit *S. Justinus* martyr: *et commentaria, inquit* (4), *apostolorum, et scripta prophetarum, quoad tempus fert, legimus*. Hæc instructio dominicis et festivis diebus regulariter è novo Testamento, nempe ex epistolis et actibus apostolorum desumitur; in feriis verò è veteri Testamento, seu è prophetis. Feriis quartis IV temporum duæ è veteri Testamento leguntur; excipe feriam IV infra octavam Pentecostes in cujus missa duæ ponuntur è novo Testamento. In sabbatis autem IV temporum, ad instructionem ordinandorum plures leguntur è veteri Testamento, ultima è novo. In vigilia et missis Nativitatis Domini, Carthusiani et Dominicani duas habent epistolas, unam è novo, et alteram è veteri Testamento. Idem habet usus Leodiensis in prima missa dictæ Nativitatis Domini. Id autem præ-

(1) Psal. 147.

(2) 1. Ad Corinth. cap. 1.

(3) Act. apost., cap. 2. v. 42.

(4) Apol. 2.

elicatur, ut è prophetiis elucescat fides Verbi incarnati.

III. Hæc pars missæ vocatur *epistola*, à fonte undè depromitur, vel etiam à nonnullis auctoribus *apostolus*, quia communiter ex apostolorum epistolis sumitur. Intitulatur *lectio epistolæ*, quia olim non cantu, sed altâ voce legebatur; et hinc est quòd pulpitem pro libro epistolarum in libris et auctoribus liturgicis dicatur *lectorium*. Quando epistola trahitur è *S. Paulo*, communiter incipit per verbum *fratres*, quia hic apostolus frequenter illâ expressione utebatur; quando autem ex epistolis canonicis, per verba *fratres charissimi*, eò quòd sancti *Petrus*, *Joannes* et *Judas* sæpè illis utantur. Fideles sub epistola sedent, ad normam Judæorum et primorum Christianorum, qui sacras Scripturas audiebant et interpretabantur sedentes (1); vel, juxta *Rupertum* (2), quia in epistola audimus scripta servorum Dei; stamus autem sub evangelio ex majori reverentia erga verbum ipsiusmet Dei.

IV. Post epistolam sequitur *graduale*, quod institutum videtur missæ; solemnem causâ, nempe ut chorus occupetur, tempore quo celebrans dicit *munda cor meum*, evangelium, et thus imponit, vel juxta alios, ut instructioni jungatur oratio, et per illam in nobis fructificet. Porrò *graduale* componitur ex duobus versibus et *alleluia* duobus, quibus adjicitur alter versus cum altero *alleluia*. Hi versus desumuntur vel è psalmis vel ex aliis Scripturæ libris, et interdum ultimus

(1) 1. ad Corinth. cap. 14. §. 26.

(2) Lib. 1. offic. cap. 52.

versus est compositionis ecclesiasticæ, ut in festis Assumptionis B. M. V., S. Martini et aliis quibusdam. Hæc oratio dicitur *graduale*, eò quòd cantaretur in gradibus presbyterii, vel ambonis. *Beleth* (1) refert quòd in gradibus ante altare diebus profestis cani soleat, in solemnioribus verò in altioribus, hoc est in pulpito seu ambone. *Durandus* verò aliter hunc ritum narrat: in profestis diebus, ait (2), in medio chori ante gradus altaris, in festivitibus in gradibus cantatur altaris; undè dici debet quòd locus gradualis fuerit diversus pro ecclesiarum diversitate. Imò testatur idem *Durandus* loco citato (3) in quibusdam ecclesiis suo tempore *graduale* fuisse cantatum ante epistolam, ad notandum quòd *prædicator* prius opere et postea verbo debet docere.

V. In graduale inseritur vox *alleluia* ad excitandum in fidelibus sensum lætitiæ ob perceptam in epistola instructionem, seu ob aliam mox in evangelio percipiendam. Hæc vox est Hebræica, idem significans ac *laudate Dominum*, sed accentum jubilationis continet, qui Latinæ versionis communicari nequit, ideoque Ecclesia vocem illam retinuit: de hac meminit *Tobias* (4); loquens enim de exultatione Ecclesiæ Christi, ait: *et per vicos ejus alleluia cantabitur*. Pariter *S. Joannes* (5) illius facit mentionem, dicens vocem illam *alleluia* diu noctuque in cœlo cantari.

(1) Cap. 58. *Joannes Beleth*, gymnasii Parisiensis insignis theologus, composuit librum de divinis officiis.

(2) Lib. 4. cap. 19. n. 5.

(3) Num. 2.

(4) Cap. 13.

(5) Apocal., cap. 19.

Eò autem quòd vox illa lætitiã sapiat et inspiret; graduale cum ea tantùm ponitur in missis festivis et aliis in quibus nullus habetur pœnitentiæ stimulus; quando autem missa est lugubris, ut in quadragesima, vigiliis, etc., et pro defunctis, vox illa post epistolam reticetur.

VI. Ultimum *alleluia* gradualis in missa solemni cantatur cum neumate seu pneumate; id est, cum magna serie notarum sub ultima syllaba. *Pneuma* verbum est Græcum, idem Latinè significans ac flatus seu aspiratio, quæ locum habet dum præ multitudine gaudii verba deficient, solâ superstate quâdam aspiratione excessum gaudii exprimente. Neumate igitur hîc ob beneficium instructionis divinæ testamur nos præ jubilatione mirabiliter affectos.

VII. Tractus componitur ex quibusdam psalmodum versibus, et etiam aliquando, ut in dominica palmarum, et feriâ VI in parasceve, ex psalmo integro, nomenque sortitur à verbo trahere, seu quia tractim, lentè, et lugubriter cantatur: hinc locum habet tantùm in missis quæ cum apparatu mœroris, id est, in paramentis violaceis vel nigris celebrantur.

VIII. Prosa est species hymni liberioris compositionis, in quo servatur similis ultimorum verborum sonantia, quique mysterii, vel Sancti præconia narrat. Ab aliquibus (1) *Pneuma* dicitur, quia loco illius post *alleluia* cantatur; ab aliis verò *sequentia*, quia sequitur *alleluia* per modum

(1) In antiquis consuetudinibus ord. Cluniae. Prosa *S. Petri* scribitur ad missam *Neuma*, et cardinalis *Hugo* loquens de prosa ait: Idem significat ac *Neuma*.

appendicis ad illud loco neumaticis. Olim quælibet dominica et quodlibet festum extra tempus septuagesimæ ad Pascha suam habebat sequentiam, prout videre est in antiquis missalibus. Ast erant ut plurimum inconcinnæ; ideoque Carthusiani et Cistercienses omnes à suis liturgiis miserunt; et in ordine Romano factâ discretionem tritici à palea, quinque tantum ex illis fuerunt servatæ, nimirum festi VII dolorum, Paschatis, Pentecostes, SS. Sacramenti et missæ pro defunctis: his Minoritæ addunt prosam SS. Nominis JESU. Auctores harum non ita sunt certi: *Durandus* prosam S. Spiritus tribuit *Roberto*, Galliæ regi, sed communius tribuitur *Hermanno*, qui cognominatur *contractus* à membrorum contractione, qui floruit sæculo XI, et monachus fuit. Prosa SS. Sacramenti composita traditur à *S. Thoma Aquinate*, contra *Joannem Rioche*, qui (1) auctorem illius facit *S. Bonaventuram*. Prosa *Dies iræ* prodiisse dicitur à *Malabranca* ordinis Prædicatorum, et nepote *Nicolai III*, à quo fuit purpurâ decoratus et episcopatu Ostiensi anno 1278. Auctores aliarum sunt ignoti. Prosæ inseruiunt ad lætitiâ vel compunctionem excitandam: undè in solemnitatibus Paschæ, Pentecostes, et Corporis Christi cantu festivo persolvuntur; in die verò VII dolorum, et in missis defunctorum tono lugubri.

IX. Usus legendi aliquod responsorium, id est, graduale seu tractum post epistolam, à primis Ecclesiæ temporibus originem habet; de eo quippe loquitur *S. Augustinus* (2): *Apostolum*, inquit, *au-*

(1) Lib. 4 compend. temp. cap. 71, colum. 5.

(2) Sermone 8, de verbis apostoli.

divinus, psalmum audivimus, evangelium audivimus. Porrò tunc temporis graduale seu tractus ex psalmo integro componebatur, prout insinuat loco citato *Augustinus*, hujusque exemplar retinimus dominicâ primâ quadragesimæ et palmarum, necnon in parasceve. Quando autem psalmus ille fuerit contractus, et formam responsorii obtinuerit, non ita exactè determinari potest, certum tamen in primis est quòd sub *S. Leone Magno*, id est, circa medium sæculi V, adhuc psalmus integer legeretur, cùm de eo apertam faciat mentionem (1). Constat deindè ex sacramentario *S. Gregorii*, qui vixit in finem sæculi VI, psalmum fuisse constructum per modum responsorii; adeoque indè dici potest id accidisse circa finem V, vel initium VI sæculi. Additionem verbi *alleluia* graduale *S. Damaso*, qui ad pontificatum fuit euectus anno 366, tribuit *S. Gregorius* (2) his verbis *ut alleluia hìc diceretur de Jerosolymorum Ecclesia ex B. Hieronymi traditione tempore B. memoriæ Damasi Papæ traditur tractum*; ejusque meminit *S. Augustinus* (3) qui eodem tempore vixit.

ARTICULUS XI.

De oratione munda cor meum, et evangelio.

I. LECTIS epistolâ et iis quæ sequuntur, liber transfertur ad aliud cornu altaris. Hujus translationis ratio desumitur ex usu veteri, quo fideles offerebant panem et vinum sacrificii; cùm enim ante offertorium illa deponerent in altare juxta

(1) Sermone 2, cap. 1.

(2) Lib. 7, Epist. 65.

(3) In psalm. 106, cujus titulus est *Holleluia*.

cornu epistolæ, necesse erat ut liber ad aliam partem transiret, cessante autem usu offerendi ea quæ ad sacrificium erant necessaria, usus mansit librum transferendi ante evangelium, et eò magis quò oblationes panis et vini à fidelibus non simul et semel, sed paulatim defecerint. Huic rationi aliam moralem adjungit *Pouget* (1), ad quam fingit in primis cornu epistolæ Judæos signare, et latus evangelii Christianos. Hoc posito, epistola primò legitur in cornu sinistro altaris, quia Judæis primò credita sunt Dei eloquia; transfertur deindè ad lectionem evangelii in aliud cornu, ut significetur lumen fidei à Judæis ad Gentiles fuisse transportatum. Huic allegoriæ concordat reditus libri ad cornu sinistrum in fine missæ, quia nimirum in fine mundi populus judaicus tandem est illuminandus. Sed quare juxta hanc allegoriam non legitur in eodem cornu sinistro evangelium *S. Joannis*, vel aliud proprium? quia licèt celebrans illud evangelium jam legere debeat ante descensum ex altari, et populus illi interesse, ut audiat missam integram, tamen strictè loquendo non videtur ad missam spectare, cùm legatur post dimissionem populi. Liber evangelii deponitur in altare situ obliquo, ut sacerdos è regione libri constitutus inveniatur per suam sinistram semiversus ad populum, quem alloquitur et instruit lectione evangelii.

II. Libro translato, vel per sacerdotem, vel congruentiùs per ministrum, sacerdos stans manibus junctis in medio altaris elevat devotè oculos ad Deum, cui supplicaturus est pro sui purifica-

(1) De sacrificio missæ.

tione; deindè profundè inclinatus corpore pariter et mente; ut sic tangat eum; quem alloquens Propheta (1) ait: *cor contritum et humiliatum, Deus non despicias*, dicit secretâ voce, tum ob cantum in missa solemni, tum præsertim quia pro se tantùm hìc orat *munda cor meum*, etc.

III. Celebrans annuntiaturus evangelium Christi, memor sanctitatis verbi Dei, de qua scriptum est (2): *eloquia Domini, eloquia casta*, et aliundè perterritus his verbis (3): *peccatori dixit Deus: quare tu enarras justitias meas et assumis testamentum meum per os tuum?* petit interiùs exteriùsque mundari et notanter à culpis ore commissis, *munda cor meum*, ac *labia mea*, omnipotens Deus, qui solus potes facere de peccatoribus justos et sanctos, *qui labia Isaïæ prophetæ calculo mundasti ignito*. Exemplum adducit actus divinæ potentiæ et misericordiæ erga personam Isaïæ prophetæ, et fidens in eadem Dei omnipotentia et bonitate, postulat in se renovari antiquam illam Dei misericordiam, *ita*, inquit, non equidem quoad instrumentum seu calculum ignitum, sed saltem quoad effectum, *me tuâ gratâ miseratione dignare mundare, ut sanctum evangelium tuum dignè seu sanctè valeam nuntiare per Christum Dominum nostrum. Amen.*

IV. Postea addit *jube, Domine, benedicere*. Horum verborum sensus est: *jube*, seu impera tibi metipsi, ut mihi benedicas; quæ phrasis continet actum humilitatis et venerationis, qui non invenitur in his verbis quasi imperativis

(1) Psalmo 50.

(2) Psalmo 11.

(3) Psalmo 49.

benedic, Domine. Expressens deindè naturam benedictionis quam à Deo quærit, ¶prosequitur; *Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ut dignè seu cum sanctitate et competenter seu cum pietate et spirituali unctione annuntiem evangelium suum. Amen.* Quando fit verbum ad hominem, uti à diacono sub missa solemnè, dicitur *jube, domne, benedicere*: verbum *domnus* est diminutivum verbi *Dominus*, assumiturque erga hominem quem in missa vel officio alloquimur ut ponatur aliqua distinctio inter Deum et creaturam. Interim *domnus* nomen est honorificum, quo primis Ecclesiæ sæculis] personæ in dignitate vel sanctitate constitutæ appellabantur: sic protomartyr *Stephanus domnus* dictus est (1). Sic olim episcopi et abbates *domnus* vel *pater* dicebantur, sed jam nomina hæc sibi vindicârunt religiosi, quorum alii *patres*, alii verò *domni* dicuntur, ut Carthusiani, Cluniacenses, Cistercienses, et Fullienses (vulgò *Feuillans*). Utramque autem denominationem sibi retinuerunt summi Pontifices, qui dicuntur *sanctissime pater*, et in litanis majoribus *domnus*, *Ut domnum apostolicum*, etc. Pariter et sacerdotes sub] missa et officio, in quibus modò *domnus*, modò *pater* appellantur. Ad invitationem sibi factam à diacono, respondet sacerdos orans pro eo: *Dominus sit in corde tuo*, etc. Hic adverti debet, per hæc verba *jube, Domine* vel *domne, benedicere*, peti licentiam annuntiandi evangelium, de qua scriptum est (2): *quomodò verò prædicabunt,*

(1) *Baronius*, anno 416, n. 25.

(2) Ad Rom., cap. 10, v. 15.

nisi mittantur? quòdque per hæc alia *Dominus sit*, etc., licentia illa facta censeatur.

V. Hujus orationis *munda cor meum* nulla mentio in ordinibus Romanis antiquioribus ordine XIV; ast in hoc invenitur, et deinceps in missalibus posterioribus. Alia precatio *jube, domne, benedicere* ibidem etiam primò invenitur; in ordine tamen Romano VI (1) sequens oratio præscribitur à diacono recitanda ante evangelium: *Domine, labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam*, post quam accipit benedictionem. Benedictio igitur diaconi, antequam cantet evangelium, nempe *Dominus sit in corde tuo*, est antiquior precatio *munda cor meum*, non enim continetur solùm in ordine Romano VI, sed et in I, ubi legitur quòd ante evangelium diaconus accedere debeat ad Pontificem, qui absque ulla invitatione ex parte dicti diaconi, benedicit ei his præcisè verbis: *Dominus sit in corde tuo et in labiis tuis*; in sacramentario autem *S. Gregorii* sub sæculo XII verbis citatis additur: *ut annunties competenter evangelium pacis*. Et tandem in Romano XIV exstat, uti in missali nostro.

In missis de *requiem, jube, Domine*, etc., et *Dominus sit*, etc., omittuntur; et hæc omissio haberi potest ut monumentum antiqui ritus, quo hæc in missa prætermittebantur. Aliundè hæc benedictio præsertim in missa cantata, est solemnis et festiva; ideoque in his missis congruè siletur.

VI. Dicto *munda cor meum*, etc., celebrans se sistit ex adverso libri in cornu dextro altaris, ibique constitutus dicit *Dominus vobiscum* et re-

(1) Num. 6.

spondet minister *et cum spiritu tuo*. Sub hac salutatione non se vertit sacerdos, quia, ut suprâ innumimus, jam est semiversus ad populum per suam sinistram. Præmittitur autem hæc in Domino salutatio, quia verbum Dei fructum suum germinare nequit, nisi Deus dederit, juxta illud: *ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit*. Prosequitur deindè *initium* vel *sequentia sancti evangelii secundum*, etc. Exprimatur hic nomen evangelistæ à quo desumptum est evangelium, ut sciatur undè veniat instructio: dicitur *initium*, quando evangelium incipit primis verbis unius vel alterius evangelistæ; quando autem assumitur è corpore alicujus libri, dicitur *sequentia*. Excipe, nisi sub initio evangelii tempus importetur, quo narrata evenerunt, ut dominicâ IV adventûs, cujus evangelium incipit: *anno quintodecimo Tiberii cæsaris*. Et in Epiphania: *cùm natus esset Jesus in diebus Herodis regis*. Diciturus *initium* vel *sequentia*, deponit sinistram manum in missale, ne sola hæreat in aëre, et sub dictis verbis pollice dextræ format parvum crucis signum in prima verba evangelii, ad indicandum quòd evangelium, seu doctrina Christi magnam illam virtutem, quâ mundum convertit, à mysterio crucis traxerit, vel ad significandum quòd verba evangelii sint verba illius qui in cruce pependit. Tum prosequens *sancti evangelii secundum N.*, se signat eodem modo super frontem, os et pectus. Super frontem contra ruborem, super os contra silentium, et super pectus contra fictionem. Igitur plantans crucem in fronte, ubi est sedes pudoris, profitetur se paratum ad fidem Christi profitendam sine

rubore, de quo scriptum est (1); *qui me erubuerit et meos sermones, hunc Filius hominis erubescet.* Formans supra os, ubi est instrumentum professionis externæ fidei, se exhibet dispositum ad fidem profitendam perfecta cum libertate, de qua etiam dicitur (2): *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in cœlis est.* Tandem crucem renovans supra pectus, ostendit se fidem internam habere, de qua etiam (3) scriptum est *corde creditur ad justitiam.* Ex eodem motivo similiter se signat omnis populus. Porrò hæc signa fiunt cum pollice, tum ut servetur vestigium antiqui ritûs, juxta quem signum crucis fiebat cum pollice. Vide dicta cap. II. art. I. n. IV; tum quia partes quæ signantur, totius manûs capacitatem sub hac operatione decenter admittere nequeunt. Legit autem evangelium manibus junctis præ reverentia erga verbum Dei, et eâdem ratione sub eo stant fideles.

VII. Ut dixit celebrans *initium* vel *sequentia*, etc., respondet minister *Gloria tibi, Domine.* Hæc verba deprompta sunt ex antiqua doxologia hymnorum B. M. V.; idque probat ritus Carmelitarum, qui, dicto à serviente *Gloria tibi, Domine*, subjungunt secretò *qui natus est de Virgine, cum Patre et Sancto Spiritu in sempiterna sæcula. Amen* (4). Porrò hoc responsum videtur in missam solemnem inductum, ne chorus sub incen-

(1) Luc. 9, v. 26.

(2) Matth., cap. 10, v. 32.

(3) Ad Rom., cap. 10.

(4) *Bajocis* hæc doxologia ad evangelium mutatur ut in officio, v. g. in festo Epiphaniæ dicitur *qui apparuisti Gentibus*, etc., et sic in allis festis doxologiam propriam habentibus.

satione silens et otiosus hæreat, indèque transiit in missam privatam. Aliundè optimè hìc sibi locum vindicat; cùm enim Deus dignetur populum adstantem verbis evangelii illuminare, æquum est, ut pro tanto divinæ instructionis beneficio eum glorificet: hinc narrat Apostolus (1) quòd *gentes verbum salutis sibi à Deo destinatum esse audientes glorificabant Deum*. Hoc responsum *Gloria tibi, Domine*, in usu fuisse sæculo VIII constat ex scripto *Beati presbyteri adversùs Elipandum* archiepiscopum Toletanum, ubi dicit post *initium* seu *sequentia sancti evangelii*, etc., responderi ab omni populo *Gloria tibi, Domine*.

VIII. Sub lectione evangelii, celebrans præ reverentia erga verbum Dei tenet manus junctas ante pectus; ac majoris reverentiæ causâ præcipitur in ordine Romano II, ut gestantes baculum, illud è manibus deponant, et ut coöperti pileolo vel alio tegumento caput denudent; stantque fideles infra evangelium, ut se exhibeant paratos ad doctrinam Christi profitendam et practicandam. Quidam ordines militares sub evangelio arma deponunt; alii verò districtum gladium elevant, ut videantur armati ad illius defensionem. Si in cursu evangelii proferatur nomen *Jesus*, celebrans caput inclinat versùs librum, non autem more solito ad crucem; et hujus ratio desumi potest ex synodo octava (2), in qua declaratum fuit eundem cultum deberi evangelio et cruci; ita ut non sit motivum se vertendi ad crucem sub præsentì reverentia. Pariter si sit

(1) Actuum apost., cap. 13.

(2) Cap. 3.

flectendum, genuflexio ob eandem rationem fit versùs librum. Exposito SS. Sacramento, videtur quòd præfata inclinatio sub nomine *Jesu* exhibenda foret, non libro, sed Sanctissimo in altari exposito; verùm, cùm Ecclesia instituens Sacramenti expositionem nihil immutaverit in ritu celebrandi, inclinatio ad nomen *Jesus* constanter facta est versùs librum; attentò quòd celebrans legens evangelium sit semiversus ad populum per suam sinistram; ita ut conversio ad SS. Sacramentum sub hac inclinatione foret quodammodò celebranti molesta. Sub genuflexione tamen in evangelio Epiphaniæ et *S. Joannis ad et procidentes adoraverunt eum; et Verbum caro factum est* auctores exigunt modicam celebrantis conversionem ad SS. Sacramentum, quia præsentia realis Christi hunc adorationis actum quasi naturaliter ad se trahit.

IX. Finito evangelio, dicit minister *laus tibi, Christe*; quibus verbis Deo benedicit ob instructionem in evangelio perceptam. Olim, teste doctore Alensi, variabat hoc responsum; *perlecto*, inquit (1), *evangelio, dicunt assistentes amen, alii dicant Deo gratias, nos dicimus laus tibi, Christe.* Hæc ultima formula, aliis suppressis, locum nunc habet. Post hoc responsum, celebrans in signum amoris et devotionis erga verbum Dei, osculatur prima verba evangelii; Carthusiani autem præ reverentia marginem tantùm missalis. Interim dicit sacerdos: *per evangelica dicta deleantur nostra delicta*, scilicet venialia, ad quorum remissionem sufficit cordis compunctio, quæ

(1) 4. p. de Myst. Miss.

facile concipi potest, Deo dante, per lectionem evangelii. Osculum libri utpote quid festivum omittitur in missis de *requiem*, et consequenter prætermittuntur hæc verba osculo quasi adhærentia *per evangelica dicta*, etc. In quibusdam tamen locis, et notanter apud Carthusianos osculum præbetur libro in missis de *requiem*, uti in aliis. In sacramentario *S. Gregorii* sæculi XII celebrans, lecto evangelio, dicebat *pax tibi*, nempe diacono. Idem habent ordines Romani I (1) et III. (2) : deindè osculans librum dicebat : *per istos sermones S. evangelii sui indulgeat nobis Dominus universa delicta nostra*. In aliis missalibus antiquis similes orationes inveniuntur, quæ quoad sensum redeunt ad eam, quâ nunc utimur, scilicet *per evangelica dicta*, etc. In ordine Romano II (3) præscribitur post evangelium crucis signum, quo olim populus se muniebat; hunc ritum in suam liturgiam invexerunt Carmelitæ; nam celebrans, lecto evangelio, et missali osculato, se cruce signat in omni missa, quæ non est de *requiem*. Hujus signi rationem reddit *Durandus* (4), ne scilicet *diabolus susceptum semen evangelii de vase signato surripiat*. Huic addi potest et altera, nempe quòd post evangelium finiret missa Catechumenorum, hinc ad normam primorum fidelium, et multorum præsentis temporis, ad terminandum hoc opus in Christo, cruce absolvebatur.

(1) Num. 11.

(2) Num. 10.

(3) Num. 8.

(4) Lib. 4. cap. 24. n. 51. Idem habet *Remigius Antissiodorensis*, de expos. miss., item *Beleth*. in explic. div. off., cap. 39, adeoque sub eorum temporibus ritus hujus signi adhuc vigeat.

X. Evangelium, mox ab exordio sacrificii novæ legis, locum in eo invenit, seu statim atque fuit scripto mandatum; à beato enim *Petro* apostolorum principe constitutum fuisse, ut in ecclesiis evangelium *S. Marci* legeretur, tradit *Eusebius* (1); *S. Justinus* martyr, *Tertullianus*, *Cyprianus*, et omnes antiquissimi auctores hunc etiam morem astruunt. Nec hic omittendum concilium *Valentinum* in *Hispania* habitum anno 546, et juxta alios 524, in quo sancitum est (2), ut evangelium post epistolam, ante oblationem legeretur, idque ex veterum canonum præscriptis.

ARTICULUS XII.

De Symbolo.

I. Si dicendum sit symbolum, celebrans re-
dux ad medium altaris expandit et paululum ele-
vat manus dicens altà voce *Credo*, easque de-
mittit et jungit ante pectus dicens *in unum*; tan-
dem addens *Deum* caput cruci inclinat. 1.º Ac-
cedit ad medium, ut ante faciem crucifixi hanc
fidei professionem emittat, et quidem voce altà,
ut audiatur à populo, in cujus nomine fidem
profitetur, et qui ad illam simul profitendam ex-
citatur. 2.º Extendit et elevat manus dicens *Credo*:
hi gestus procedunt ex corde dilatato et exultante
sub hac fidei professione. 3.º Demittit et jungit
manus, non, ut præterdit *Claudius Devert*, ra-
tione horum verborum *in unum*; nam idem pra-

(1) *Hist. eccles.*, lib. 1, cap. 15.

(2) *Cap. 1.*

cticatur sub *Gloria in excelsis*, ubi verba *in excelsis* per se non exigunt manuum demissionem, sed potiùs elevationem: undè dicendum manus hic demitti et jungi, ut celebrans majori veneratione et humilitate crucem salutet; dicens ergo *Deum* caput cruci inclinatur, tum ob sanctissimum Dei nomen quod profert, tum maximè ob sui adventum ante imaginem crucifixi. Hæc inclinatio renovatur more solito ad *et in Jesum Christum*. Sub his verbis *et homo factus est* genu dextrum ad terram usque incurvatur, quia servum, profundissimam Verbi humiliationem in mysterio Incarnationis referentem, humiliari decet. Carthusiani loco genuflexionis corpus profundè inclinant; hicque adverti potest, quòd in toto missæ cursu perfectè non genuflectant, seu usque ad terram. Postea sub *adoratur* caput inclinamus, ut non tantùm verbo, sed et facto cultum patriæ Spiritui Sancto debitum reddamus. Juxta *Rufinum* (1) et alios, symbolum olim terminabatur his verbis *carnis resurrectionem*, sub quibus celebrans se signabat, ut tangendo frontem profiteretur se non in aliena, sed in sua carne resurrecturum, juxta illud *Job* (2): *Scio enim quòd Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum; et rursùm circumdabor pelle meâ, et in carne mea videbo Deum meum*. Sed ex quo additum fuit *et vitam venturi sæculi, amen*, signum crucis his verbis fuit reservatum, ut eo quasi obsignaretur professio fidei et simul agnosceretur neminem, nisi virtute crucis posse in

(1) In expositione symboli.

(2) Cap. 19. v. 25. et 26.

vitam æternam intrare. Hinc inferri debet hæc ultima verba non pertinere ad symbolum apostolorum, sed addita fuisse ab Ecclesia, ut contenta in præcedenti articulo : nam in fide resurrectionis fides æternæ vitæ imbibitur.

II. Hæc fidei professio vocatur symbolum, id est, signum, seu tessera; et imprimis ratio signi ei convenit; quia per fidei professionem in simbolo contentam, fideles secernuntur ab infidelibus. Deindè et tessera dici potest, seu compendium quoddam fundamentalium fidei catholicæ articulorum. In liturgia nostra quatuor symbola inveniuntur, scilicet apostolorum, *S. Athanasii*, Nicænum et Constantinopolitanum.

Symbolum apostolorum, sic dictum ab illius auctoribus, singulis diebus pluries in divino officio legitur.

Symbolum *S. Athanasii* mirabili stylo, mirâque claritate compositum ad exponendam fidem SS. Trinitatis, olim quotidie in Prima fuisse recitatum asserit *Honorius Augustodunensis* : hicque usus hodiedùm viget apud Carthusianos. Verùm jam ponitur in solo officio dominicali et in festo SS. Trinitatis ad Primam. Hoc symbolum vulgò *S. Athanasio* tribuitur, à quo et nomen sortitum est, sed complures eruditi auctores *S. Athanasio* tribui non posse contendunt : 1.º Quia nulla hujus symboli citatio contra Græcos schismaticos ante ætatem *Greg. IX.* 2.º Quia stylus sapit auctorem Latinum, non Græcum. 3.º Quia in eo refelluntur hæreses *Nestorii* et *Eutychis*, qui post *S. Athanasium* floruerunt. Quis verò auctor illius sit? Nonnulli asserunt fuisse *Vigilium Tapsensem* qui floruit circa finem V sæculi. Qui plura

cupit circa hoc, adeat *Merati* (1), *Grancolas* (2) et *P. Papenbrock* (3), qui paulò latiùs hoc dubium tractârunt.

Nicænum fuit formatum in synodo Nicæna anno 325 contra errores *Arii*, qui Verbi divinitatem oppugnabat; ideoque extensus est in eo articulus qui agit de Filio, variæque aliæ explicationes accesserunt, ut legenti patet.

Constantinopolitanum fuit compositum anno 381 contra *Macedonium*, qui Spiritûs S. divinitatem negabat: quare Patres hujus concilii articulo de S. Spiritu addiderunt quòd à Patre procedat, simulque cum Patre et Filio adoretur. Plura insuper in hoc concilio fuerunt addita ad confutandos errores *Marcionis*, *Manichæorum* et *Photii*. Verba *Filioque* nec in Nicæno, nec in Constantinopolitano leguntur, sed solùm in operibus *Gregorii Turonensis*, et in octavo concilio Toletano anno 553: cantabantur interim in Gallia anno 727; sed Germani hanc additionem in symbolo solùm receperunt in concilio Aquisgranensi anno 809.

Hoc ultimum symbolum illud est quo in missa utimur, seu potiùs utimur symbolo apostolorum cum explicationibus illi additis in conciliis Nicæno et Constantinopolitano. Nihilominùs symbolum missæ simpliciter dicitur Nicænum ab additionibus primò factis in illo concilio: propriè tamen dici deberet Nicæno-Constantinopolitanum. Interim in his quatuor symbolis nulla est varie-

(1) Tom. 2, Sect. V, Cap. 20, de Symb. *S. Athan.*

(2) In Brev. Rom., tit. de Prima et Symb. *S. Athanasii.*

(3) Tom. 1. Maii in Append. ad cap. 3. Vitæ *S. Athanasii.*

tas; eademque fidei veritates in illis continentur, sed solum in uno quam in alio explicatius.

III. Usus cantandi in missa symbolum in Orientali Ecclesia ortus est, si enim fides adhibeatur *Theodoro* Lectori (1), *Timotheus*, episcopus Constantinopolitanus, in morem induxit anno 510, ut in singulis collectis symbolum recitaretur antè autem juxta eundem semel in anno tantum cantabatur, nempe ferià sextà in parasceve ad instructionem catechumenorum. Indè hic usus transiit in Hispanias et Gallias; concilium enim *Toletanum* anno 589 (2) statuit, ut per omnes Ecclesias Hispaniæ vel Gallæciæ, symbolum, priusquam dominica dicatur oratio, voce clarâ à populo cantaretur. In Romanam verò Ecclesiam usus cantandi symbolum in missa, juxta *Baronium*, fuit inductus anno 1014 sub *Benedicto VIII*. Verùm certò errat citatus auctor, siquidem ordines Romani (3) hunc usum attestentur, ita ut circa sæculum VII Ecclesia Romana symbolum in missa recitaverit. Undè *Illyricus* de eo facit mentionem in ordine missæ, quem refert ad sæculum VIII; equidem *Micrologus*, qui scripsit circa finem sæculi XI, de eo nullam facit mentionem; pariter nec *Alcuinus*. Sed est argumentum negativum, quod cedere debet argumentis positivis suprâ adductis. Præterea ipsis apponi potest auctoritas *Amalarii*, qui scripsit ante sæculum XI, et tamen de usu symboli meminit (4). Ad *Bernonem*, qui se hîc ingerit in

(1) Lib. 2. Eccles., pag. 566, edit. Valesii.

(2) Can. 2. Conc. V. pag. 1009.

(3) Ordo Rom. II, n. 9, ordo V, n. 7, et VI. n. 7.

(4) In Eclogis seu excerpt. ex ord. Rom., cap. 16.

testem oculatum, et asserit cantum symboli Romæ institutum fuisse sub *Bonifacio VIII* anno 1014 ad precem *Henrici* imperatoris, quidam respondent eum solùm agere de cantu symboli, quod antè simpliciter in Ecclesia Romana legebatur, sed id apertè adversatur ordinibus Romanis, qui de cantu illius apertam faciunt mentionem. Unicuique hinc subest medium ad conciliandum hunc auctorem cum ordinibus Romanis, nempe quòd cantus symboli Romæ fuerit fortè interruptus, et postea à *Bonifacio* restitutus; ast quidquid sit, prævalet auctoritas ordinum Rom. dictis hujus auctoris.

IV. Vario modo cantatum et lectum fuit in missa symbolum. Indi et Mozarabi, ut professio fidei sit omnibus adstantibus communis, dicunt in plurali *Credimus in unum Deum*, et ultimi tenentes Hostiam supra calicem detectum, illud legunt immediatè ante orationem dominicam. In liturgiis Græcorum lectio symboli ponitur ante præfationem (1). Ordo Romanus VI habet: *omnis chorus incipiens Patrem omnipotentem ad finem usque perducatur*. Idem nunc praticatur Senonis, Parisiis, Meldis, Lugduni, et apud Carthusianos, hoc est, quòd uterque chorus simul unitus cantet symbolum à principio in finem. Ritus autem Romanus, et alii communiter habent, ut symbolum dicatur immediatè post evangelium, ut super audita in evangelio fides exerceatur: et ne nimio tractu cantores graventur, alterno cantu per versus diviso, illud canimus. Sed hic adverti debet quòd ubi pulsatur organum, nihilominus

(1) Euch. Græc., pag. 75

totum symbolum cantari debeat; ita ut organum nihil supplere possit (1).

V. Symbolum non in omni missa indistinctè legitur, sed solùm in dominicis et festivitibus solemnibus ob concursum populi, seu ob præceptum fidei eliciendæ, quod frequenter obligat, et maximè diebus cultui divino specialiter consecratis. Deindè in festis B. M. V. et S. Magdalenæ, quia modo singulari fidem in diebus suis professæ sunt. Tandem in festis apostolorum et doctorum, quia illi fidem per orbem universum plantaverunt, et hi verbo et scripto explicuerunt et defenderunt.

ARTICULUS XIII.

De offertorio.

I. Hic, saltem dum symbolum non cantabatur, olim missa incipiebat; cætera enim quæ antè ponebantur, scilicet orationes et instructiones, habebant rationem præparationis ad sacrificium: undè illis interesse poterant catechumeni, et peccatores pœnitentes. Ast ad offertorium missa catechumenorum terminabatur, et incipiebat missa fidelium; quare tunc ejectis catechumenis et pœnitentibus, soli fideles illi adesse poterant. Incipit autem hæc missa per populi salutationem; celebrans enim ad populum conversus dicit clarâ voce *Dominus vobiscum*, quibus verbis apprecativè diffundit in fideles Dei gratiam, ut dignè valeant tanto interesse mysterio, et cùm talis

(1) Cær. episc., lib. 1, cap. 28.

gratia non sit minùs sacerdoti, quàm populo necessaria, vicissim populus benè illi precatur, dicens: *et cum spiritu tuo.*

II. Salutata plebe, celebrans ad altare regyrat non perficiendo circulum, adeoque per suam sinistram, et id, quia ad altare conversus non tenetur statim in libro legere uti accidit post *orate fratres.* Ad altare conversus, dicit *oremus* altâ voce, quo se et plebem excitat ad mentem sursum elevandam, extenditque more solito, ac manus mox conjungit cum capitis inclinatione. Post *oremus*, primis Ecclesiæ sæculis nihil caneatur, sed populus pro sua devotione in silentio orabat: hujus vestigium retinuimus in missa sabbati sancti. Primus fuit *S. Augustinus*, qui circa finem IV sæculi, vel initium V morem induxit psalmum cantandi infra oblationes ad occupandum et lætificandum populum tempore quo sua dona Dei offerebat. Hujus exemplar subministravit vetus Testamentum; nam (1) dum populus holocausta præsentabat, in voce, et tubis, et cymbalis laudes Deo canebat, ut eâ modulatione se hilari mente munera Deo offerre indicaret: quòd autem *Augustinus*, hujus fuerit auctor primus, patet ex ipsius defensione (2) contra *Hilarum* Tribunalum, qui eum arguebat ob hanc innovationem. Ex Ecclesia Carthaginensi usus cantandi ad offertorium transiit ad alias ecclesias, et notanter in Romanam vigebatque tempore *S. Gregorii*, id est, circa finem sæculi VI; siquidem in ipsius libro antiphonæ cum versibus ante oblationem legendæ po-

(1) Eccli. 50 cap. et seq.

(2) Retractationum l. 2, c. 11.

nantur. De iis pariter loquuntur ordo Rom. I (1), II (2) et VI (3).

III. Quamvis offertorium comprehendat omnia quæ fiunt et leguntur à salutatione populi usque ad præfationem ; tamen sola antiphona post *oremus*, licèt oblationem non contineat, *offertorium* intitulatur ; quia olim infra oblationes populi, et nunc infra oblationem celebrantis cantatur. Antiquitùs hæc antiphona longior erat, seu constabat ex psalmo integro, vel saltem ex parte psalmi cum repetitione versuum ad instar responsorii, ut patet ex antiphonario *S. Gregorii*, ut sic cantus protraheretur ad finem oblationum. Hujus formæ superest monumentum in missis de *requiem* : porrò retentum est in his potiùs quàm in aliis missis, quia in iis, dum sunt solemnes, in multis locis præsertim rurì ad offertorium hodie dùm fiunt oblationes vel panum, vel cereorum, aut saltem pecuniæ. Circa hoc offertorium movetur difficultas, quomodo, cùm in inferno nulla sit redemptio, Ecclesia orare possit, ut Deus animas liberet *de pœnis inferni, de profundo lacu, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*. Verùm hæc verba rectè intelligi possunt, non de inferno damnatorum, sed de purgatorio, quod denominari potest infernum, quia in eo est ignis, uti in loco reproborum : deindè locus profundus et os leonis, quia carcer est subterraneus. Tandem dum additur *ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum*, sensus est, ne in illo tenebricoso carcere tan-

(1) Num. 3.

(2) Num. 9.

(3) Ibid.

tis suppliciis afflictæ diutiùs detineantur, sed absque mora liberentur. Deindè si de inferno damnatorum hæc intelligantur, verificari possunt, retrahendo illas preces ad tempus quo animæ nondùm erant de corporibus egressæ, quo medio plura verificantur tempore adventûs, v. g. *Rorate, cæli, desuper, et nubes pluant justum. Emitte agnum, Domine, dominatorem terræ. Orietur sicut sol Salvator mundi, et descendet in uterum Virginis*, quæ omnia nunc vera sunt, sed in quantum referuntur ad tempus præcedens Christi Nativitatem. Ex quo cessaverunt oblationes ex parte populi, multùm fuit tempus offertorii abbreviatum; ideoque Ecclesia antiphonam, quæ offertorium dicitur, reduxit ad unum vel alterum versum psalmi, vel ad brevem sententiam festo currenti accommodatam.

IV. Ad perfectam hujus partis sacrificii notitiam, verbum hic adjiciemus de oblationibus fidelium. Decem primis Ecclesiæ sæculis fideles obtulisse materiam consecrationis, scilicet, panem et vinum, constat ex scriptis SS. PP., ex omnibus antiquis liturgiis, et conciliis. Hujus piæ praxis, quæ fundata est in ritibus Judæorum, imò et Paganorum, mentionem faciunt SS. *Justinus* (1), *Irenæus* (2) et *Cyprianus* (3). Ordo autem Romanus II (4) sic habet: *Populus dat oblationes suas, id est, panem et vinum, et offerunt cum sanonibus*, seu linteis, *candidis, primò viri, deindè fæminæ: novissimè verò sacerdotes, et diaconi offe-*

(1) Apologia 2.

(2) Lib. 4, cap. 54.

(3) De Opere et Eleëm.

(4) Num. 9.

runt; sed solum panem, et hoc ante altare. Tandem secundum Matisconense concilium præcipit (1) viris et mulieribus, ut omnibus dominicis offerant ad altare panem et vinum. Idem habet Fabianus Papa in decretis ei tributis (2). De his oblationibus etiam in nostra liturgia sæpè fit mentio; in secreta enim dom. V post Pentec. dicimus: *Has oblationes famulorum famularumque tuarum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.* Idem sub *memento* vivorum his verbis, vel tibi offerunt, et in oratione sequenti hanc igitur oblationem *servitutis nostræ.*

Porrò hæ oblationes fiebant modo sequenti: accedebant primò viri ad cancellos Presbyterii, et deindè mulieres; singuli autem offerebant panem in linteo mundo, et deindè vinum in amulis, seu parvis scyphis; panem recipiebat sacerdos; ex amulis verò subdiaconus vinum infundebat in calicem vacuum, et ex hoc calice, dum plenus erat, fundebatur in alium majorem, quem ferebat acolythus. Ita ordo Romanus II, loco mox citato. Perceptis jam oblationibus, è panibus assumebatur quod erat necessarium ad communionem sacerdotis, ministrorum et fidelium, pariter et è vino quantitas sufficiens; reliquum autem cedebat ministris, vel Ecclesiæ aut pauperibus distruebatur.

V. Circa qualitatem panis qui offerebatur, magna est controversia inter auctores, an esset usualis, adeoque fermentatus? Aliqui affirmant

(1) Can. 4.

(2) Concil. tom, I, pag. 650.

fuisse usualem; adeoque olim Ecclesiam Latinam in fermentato consecrasset. Sed contrà pugnant *Mabillonius* et *Thomasius* cardinalis, qui hac super re videri possunt à curiosis, uti et *Bocquillot*, qui in aliam inclinatur sententiam. Interim ex concilio Toletano XV anno 693 (1) constat panem fuisse candidi coloris; adeoque ex selectissima farina tritici. Erant autem panes tenues, paulò tamen majores, quàm hujus temporis hostiæ, quia olim in plures partes frangebantur, uti liquet ex ordine Rom. I. (2). Nam de oblata summi Pontificis, una pars in altari manebat, alterâ ipse se communicabat, tertia cedebat communioni archidiaconi; et secutis indè temporibus, duæ aliæ diacono et subdiacono ministrantibus. Insuper oblatas fuisse rotundas docet *S. Epiphanius* (3). Item in iis imaginem crucis impressam fuisse constat ex conc. Turonensi II (4), et variis antiquissimis monumentis. Olim etiam, in conventibus saltem, confectio hostiarum erat cæremonialis: quamvis enim in eis conficerentur hostiæ toties quoties per annum opus erat, tamen bis in anno, scilicet, ante Natale Domini et Pascha, semper novæ fiebant, ut sequitur: novitii è mensa singulatim eligebant grana tritici; illa deindè lavabant, et postea calore solis siccabantur. Antequam autem selecta grana in farinam reducerentur, lapis molendini pariter lavabatur ab aliquo, qui se ad id induebat albâ et amictu. Ad conficiendum panem tres

(1) Can. 6.

(2) Num. 19.

(3) In Anchorato.

(4) Can. 5.

aderant sacerdotes aut tres diaconi et frater conversus; post officium nocturnum recitabant laudes, psalmos pœnitentiales et litanias in pistrino; tum injectâ in farinam aquâ purâ et frigidâ, ad majorem panis albedinem, utramque materiam subigebant, et indè panem in laminis ferreis ad ignem admotis conficiebant. Hoc opus fiebat à quatuor suprâ designatis religiosè silentibus et jejunis. Hic ritus, juxta *Martene*, ad sæculum XV vigit. Quoad vinum, communiter rubrum offerebatur, tum ad removendum periculum assumendi aquam pro vino, tum ad expressius representandum sanguinis colorem. De hæc vini qualitate mentionem agit *S. Hieronymus* his verbis: *Quotidie in sacrificiis ejus de genimine vitis verè rubenta musta calcamus.* Et *S. Ambrosius* (1) ad illam alludens ait: *Cernis rosam, hoc est, Dominici corporis sanguinem.* Vinum autem non modò purum, sed et optimum offerebant fideles, prout decet tantum mysterium (2), et quando in una regione tale deerat, è Galliis et aliis longinquis terris quærebatur. Hæc antiquorum erga Eucharistiam pia attentio profectò confundit tot pastores et alios, qui in mensis suis vino bono saturantur, debile, turbidum, et quod non rarò nauseam provocat, mensæ Domini reservantes.

VI. Hic ritus suppeditandi necessaria ad confectionem Eucharistiæ refrigerare cœpit sæculo XI, quapropter *Greg. VII*, in conc. Rom. V, anno 1078, constituit ut *omnis Christianus procuret ad missarum solemniam aliquid Deo offerre, et ducat ad*

(1) In psal. 118.

(2) *Greg. Turon.*, lib. de gloria confess., cap. 65.

memoriam ; quòd Deus per Moysen dixit : Non apparebis in conspectu meo vacuus. Cùm autem tunc temporis, et præsertim sequentibus sæculis raro ad communionem accederent fideles, loco panis et vini denarios offerebant : *quidam*, inquit *Honorius Augustodunensis, de populo aurum, quidam argentum, quidam de alia substantia sacrificant.* Hæc praxis adhuc perdurat, præsertim in ecclesiis ruralibus, quæ sunt prisca ritûs tenaciores ; in missis enim dominicalibus, festivis et exequiarum pariter, ad offertorium denarios offerunt, vel sub missis solemnibus de *requiem* interdum cereos, imò in quibusdam locis offertur hodieum panis cum vino ; sed cùm dotatae sint sufficienter ecclesiæ ad providendum de necessariis ad sacrificium, hæc communiter cedunt sustentationi ministrorum. Præterea ut monumentum antiquitatis haberi potest oblatio panis et vini, quæ infra missam solemnem celebranti exhibetur à diacono et subdiacono ministrantibus. Item in missa consecrationis episcopi, quando neo-episcopus in sui communionem offert consecranti panem et vinum (1).

(1) Lugduni in Ecclesia primatiali feriis quadragesimæ duo sacerdotes, unus ex utroque choro, materiam consecrationis ad altare deferunt. Pariter Atrebatî in abbacia *S. Vedasti*, aliquis singulis diebus ad offertorium missæ principalis offert panem et vinum in consecrationem.

ARTICULUS XIV.

De oblatione panis.

I. LECTO offertorio , celebrans tollit è calice velum , quo hactenùs ad majorem decentiam fuit vestitus ; et aliquoties supra se revolutum seu plicatum , ne locum nimium capiat , deponit extra corporale juxta partem posteriorem altaris versùs cornu epistolæ. Deindè accipiens manu dextrâ calicem , eum transfert identidem extra corporale ante velum. Postea autem extendit partem exteriorem corporalis , quæ ad præsens tempus clausa permansit , ne sacræ aræ osculis sordescat , et ne particulæ è sacrificiis præcedentibus fortè in eo residuæ halitu extra pellantur , aut labiis adhæreant. Corporale olim totam altaris superficiem tegebat , uti constat ex ordinibus Romanis (1) , in quibus etiam legitur ad offertorium à diacono ex una parte et à subdiacono ex altera fuisse extensum , ac simul ex ordine VI habemus fuisse ex lino , ut nimirum meliùs repræsentaret sindonem in qua corpus Christi fuit involutum. Utrùm autem præter corporale , sacra ara aliis linteis seu mappis tegeretur ? Si *Goar* fides adhibeatur , in Ecclesia Græca antiquus ritus plures mappas præscribebat ad altaris vestitum. Ast in Ecclesia Latina , cùm solùm fiat mentio hujus corporalis , verosimile est nihil præter illud altare coöperuisse. Ex quo autem aliis mappis fuit altare coöpertum , corporale ad minorem amplitu-

(1) Ex ord. I , n. 11 , ex II , n. 9 , et ex VI. n. 7.

dinem fuit redactum ; satis quippe ei nunc est , si commodè oblata continere possit.

Porrò hoc linteum *corporale* dicitur à corpore Christi , quod in se recipit. Ritu Ambrosiano *Sindon* vocatur , eò quòd vices agat illius quâ Christi corpus fuit in sepulchro obvolutum. In missalibus Tolosano anni 1490 , Nemausensi 1511 et Narbonensi 1528 et 1576 , sequens oratio ponitur recitanda sub extensione corporalis : *In tuo conspectu, Domine, quæsumus linteamina hæc sint accepta, ut et nos tibi placere valeamus. Amen.*

II. Extenso *corporale* , pallam è calice deponit in altare. Hoc indumentum nomen à pallio , cui proprium est tegere , sortitur. Ante Specierum elevationem peractâ consecratione , pallæ nullus usus in sacrificio ; tum enim parte posteriore corporalis calix tegebatur , quod Carthusiani servant , et servare possunt Dominicani , juxta missale ordinis. Ast præscriptâ in confutationem hæresis , Specierum elevatione , cùm multi calicem corporali coöpertum elevare tentarent , ad tollendam difficultatem , adinventæ sunt parva corporalia , quibus mox à consecratione calix tegebatur , et deindè ad majorem eorundem firmitatem , simul et facilitatem celebrantis , fuerunt duplicata , et in medium injecta charta , prout nunc videmus.

III. Depositâ pallâ , celebrans accipit patenam cum hostia superposita. Patena olim longè erat amplior , seu propriè discus : et non mirum , quia in eam deponebantur omnes hostiæ in communionem totius plebis ; verùm cessante quotidianâ et frequenti communionem , et simul usu

desinente , quo fideles secum Eucharistiam deferrebant, seque in domibus communicabant, Species in ciborio fuerunt reservatæ ad satisfaciendum devotioni fidelium , et necessitudini infirmorum ; adeoque patena , cùm tunc inserviret ad capiendam solùm sacrificii hostiam , rectè fuit minorata. Celebrans autem tenens patenam ante pectus , seu quasi elevans hostiam ad Deum , et ei illam offerens ait : *suscipe , sancte Pater , omnipotens , æternæ Deus* , etc. Sub his verbis elevat simul oculos ad Deum , quem alloquitur , ut sic hæc oblatio fiat omni modo , nempe elevatione calicis , verbo et gestu oculorum. In decursu hujus orationis oraturus pro suis delictis oculos demittit , tum ut se humiliet , tum ut reliquum visu attingat , et absque errore absolvat.

IV. Finitâ oblatione , format cum patena signum crucis , et in illius medio deponit hostiam , indè significans eandem esse sacrificii hostiam , quæ olim pro salute mundi fuit cruci affixa. Deindè collocat patenam in cornu epistolæ , ut , quando opus erit , sit sub manu celebrantis ; media pars illius tegitur corporali , ut ab omni sorde defendatur ; alia verò pars exit è corporali , ut faciliùs tollatur , et pariter ne sordescat , purificatorio postea operitur.

V. In hac oratione sacerdos dicit : *suscipe... hanc immaculatam hostiam*. Hæc hostiæ denominatio profectò pani in se spectato non convenit , sed hinc consideratur consecratio illius mox futura , ratione cujus jam dicitur hostia immaculata (1). *Quam ego indignus famulus offero tibi Deo meo*

(1) In liturgia Armenorum idem invenitur : in oblatione quippe donorum , panis et vinum ut consecrata habentur , sed

vivo et vero pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque defunctis; ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam æternam. Amen. In hac oratione ordine naturali charitatis, quæ incipit à

cum cæremoniis quæ periculum idololatriæ ingerere possent, saltem respectu populi ignari, nam dona illa ad altare deferuntur solemniter cum facibus accensis et thurificatione, sacerdosque dona illa deferens cum illis signat populum: de his constat ex eorum libris; nam infra hanc cæremoniam clamat diaconus: *Deum adora*; cui chorus respondet: *coram, te Domine*. Deindè diaconus ad sacerdotem ait: *benedic, Domine*. Sacerdos autem benedicit his verbis: *Dominus Deus benedicat omnes*. Hæc insuper proclamat chorus *corpus Dominicum et sanguis Salvatoris coram; cælestes Virtutes invisibiles cantant, et dicunt irrequieta voce, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus virtutum*. Tandem sacerdos thurificans panem et vinum dicit: *quis est iste Rex gloriæ? Dominus virtutum, Dominus potens in prælio... ipse est Rex gloriæ*. Circa hanc praxim Ecclesiæ Armenorum, alii contrà, alii pro sentiunt. *De Tournefort* eam dicit abominabilem; *Gabriel* verò *Severe*, doctissimus Philadelphiæ episcopus, illam justificat eodem modo quo Latini explicant verba utriusque oblationis. Interim in missali Armeno Romæ impresso monitum sequens continetur: *hæc suprâ dicta additio spectat ad venerabile Sacramentum corporis et sanguinis Christi; quare oportet hanc cæremoniam transferre post Consecrationem et non hîc: et qui volunt eam hîc peragere (juxta consuetudinem) debent intelligere et notificare populo quòd hîc oblata sint adhuc simplex panis et vinum, quia nondùm sunt consecrata, et ideo necdùm adorabilia: sed et qui volunt hanc cæremoniam hoc loco peragere, non debent cruce signare populum cum Oblatis, neque adorare, quia necdùm sunt terribile Sacramentum, nec adest Rex gloriæ, nisi post consecrationem, id est post hæc verba: accipite et comedite, etc., et post illa, bibite ex eo omnes, etc.* In liturgia Romana prædicta inconvenientia non inveniuntur; cum juxta illam nulla præscribatur adoratio; et aliundè verba illa: *suscipe, sancte Pater, etc., offerimus tibi, Domine, etc.*, proferantur secretò, et à solis ministris de eorum sensu edoctis.

seipso, celebrans sacrificium offert pro se, et tum pro populo, quem ordinem confirmat Apostolus ad Hebræos (1), ubi loquens de Christo ait: *Qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deindè pro populi.* Sed cum sacrificium sit institutum pro omnibus omninò hominibus, mirum videri potest, cur in hac oblatione, non expressis infidelibus, populi tantum christiani mentio fiat? Verum hic defectus suppletur in oblatione calicis, sub qua dicitur *pro nostra et totius mundi salute*: et cum sacrificium exurgat ex oblatione, non solius panis, sed et vini, perindè est sive in utraque, sive in una tantum oblatione pro illis oratio fundatur.

VI. Depositâ in altari hostiâ, sacerdos recedit è medio versus cornu epistolæ, tum ne, manens in medio et vinum infundens, maculet illius effusione hostiam vel corporale, tum ex decentia ob imaginem crucifixi; aut præsentiam Christi exposito SS. Sacramento. Constitutus in cornu epistolæ, purificatorio, seu parvo mantili lineo abstergit cuppam calicis, ne aliquâ sorde vinum inficiatur. Deindè infundit vinum, scilicet de vite, quod solum est materia consecrationis: indifferens est autem ad valorem, sive sit album, sive rubrum. Undè aliqui albo utuntur ad majorem linteorum munditiem; alii verò rubro, quia melius sanguinem figurat, et aliundè periculum vitatur assumendi aquam pro vino quod interdum accidit iis qui in albo consecrant. Post infusionem vini celebrans dicit: *Deus,*

(1) Cap 7, v. 7.

qui *humanæ substantiæ*, etc., et interim format signum crucis in aquam vino miscendam, tum ut sanctificetur, et sic præparetur ad opus ministerii; tum ut significetur populum, qui per aquam repræsentatur, uniri non posse Divinitati, nisi virtute crucis. Prosequens eandem orationem, ex ampulla, seu urceolo in vinum parùm aquæ injicit, id est, aliquot tantùm guttulas, ad quod, ut excessus vitetur, Carthusiani utuntur cochleari parvo, quo etiam in partibus ad eundem finem utimur; cujusque mentio invenitur in ordine Romano (1).

In missis de *requiem*, aqua vino miscenda non benedicetur, et in hoc, juxta *Devert*, servatur ritus antiquus, qui talem benedictionem præ se non ferebat. Hujus tamen non deest ratio aliqua spiritualis; cùm enim aqua figuret populum, ideo in missis de *requiem*, in quibus pro mortuis orat Ecclesia, abstinet à benedictione, ut magis intenta videatur saluti defunctorum; quâ etiam de causâ, populo non benedicit in fine missæ.

VII. Mixtionis aquæ cum vino plures redduntur rationes: 1.º Fit ad imitationem Christi, qui in ultima cœna instituens hoc mysterium aquam cum vino miscuit, uti testatur traditio (2). 2.º Ad significandum unionem populi fidelis cum Christo; vinum enim figurat Divinitatem,

(1) Et post aquæ benedictionem, ponit cum cochleari tres guttas aquæ. Ord. Rom. XV.

(2) Ita successivè referunt *S. Justinus*, apolog. 2. *S. Iræneus*, de hæresi, lib. 4, cap. 57. *S. Cyprianus*, Epist. 63. Conc. Carth., can. 4, et conc. in Trullo, can. 52.

et aqua populum juxta illud Apocal. (1). *Aquæ sunt populi*; adeoque horum mixtio profectè hanc rationem attingit; illique consonant hæc verba: *Da nobis, per hujus aquæ et vini mysterium, ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps.* 3.^o Innuitur è latere Christi sanguinem et aquam fluxisse; undè, juxta ritum Ambrosianum, Carthusianorum et quorundam aliorum, celebrans aquam et vinum parans, dicit *de latere Christi exivit sanguis et aqua*: hæ rationes referuntur in concil. Florent. (2), et Trident. (5). His addi potest ratio alia moralis, nimirum sobrietatis: miscendo quippe aquam cum vino discimus in conviviis et mensis profanis vinum aquâ temperare. Ob has rationes mysteriis plenas, theologi communiter de peccato gravi arguunt eum qui hunc ritum voluntariè negligeret.

Sed cur aqua modicissima cum vino miscetur?

1.^o Id fit ex præcautione, ne vinum, materia consecrationis, alteretur. 2.^o Ut significetur summa Dei per vinum signati dignitas, et ima hominis per aquam repræsentati vilitas, de qua scriptum est (4): *Gentes coram Deo quasi stilla situlæ reputatæ sunt, et alibi habentur tanquam gutta roris antelucani* (5).

VIII. Post aquæ infusionem, celebrans calicem interiùs exteriùsque, si opus sit, purificatorio abstergit, ut guttulas aquæ vel vini à massæ

(1) Cap. 17.

(2) In decreto pro Armenis.

(3) Sess. 22. cap. 7.

(4) *Isaias*, cap. 40.

(5) *Sapient.*, cap. 11.

dispertitas auferat, sicque omne dubium circa earum consecrationem removeatur; cùm enim sacerdotes tantùm intendant, aut saltem intendere debeant consecrare id quod est in fundo calicis per modum unius, cùmque hæc intentio directa sæpè negligatur, indè posset facilè circa prædictas guttulas dubium suboriri, quod impeditur præfatâ purificatione.

IX. Sub aquæ infusione celebrans recitat sequentem orationem: *Deus, qui humanæ substantiæ dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabiliùs reformasti; da nobis, per hujus aquæ et vini mysterium, ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs Sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.* 1.º Dicitur hic Deum mirabiliter hominem condidisse, quando nempe Adam ex corpore et anima sibi physicè unitis formavit, cujus compositi structuram advertens David exclamat (1): *Mirabilis facta est scientia tua ex me: confortata est, et non potero ad eam; ast quod opus hoc è manibus Dei prodiens maximè exaltavit, profectò fuit donum multiplex, quo Deus primum hominem prævenit, tum in corpore, tum in anima, sed quo miserè se spoliavit, simul et suam posteritatem. Ita ut ad reparandum tantum malum, necesse fuerit ut descenderet Deus de cœlo, carnem humanam indueret, et in ea moreretur; quod opus humanæ reparationis mirabilius est opere creationis: undè benè additur: et mirabiliùs reformasti. Se-*

(1) Ps. 139.

quitur, *da nobis per hujus aquæ et vini mysterium ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostræ fieri dignatus est particeps.* His verbis quærimus, vinculo gratiæ sanctificantis Christo uniri, qui humanitatem nostram in mysterio Incarnationis Divinitati suæ univit, quod symbolicè figuratur in mixtione aquæ cum vino. Hæc ratio, quæ in liturgia Carthusianorum, Carmelitarum, et Dominicanorum non habetur, in Romana ætatem magnam præ se fert; siquidem in missali Gregoriano, sub festo Natalis Domini inveniatur, exceptis his verbis: *per hujus aquæ et vini mysterium*, quæ fuerunt deindè eî addita. Legitur etiam in missa Illyrica, sed non reperitur in primis ordinibus Romanis, de ea quippe fit tantùm mentio in ordine XIV; undè dici potest hanc orationem circa sæculum XIV, ubique fuisse præscriptam iis qui ritum sequuntur Romanum.

ARTICULUS XV.

De oblatione calicis.

PURIFICATO à guttulis dispersis calice, celebrans in medio altaris constitutus accipit calicem, illiusque cuppam elevat ante faciem suam; sicque tenens dictum calicem, intentis ad imaginem Dei, quem alloquitur, oculis, absolvit voce secretâ orationem *offerimus, tibi, Domine*, etc. Sub hac oblatione oculi non demittuntur, quia in illa nihil exigit eorum depressionem, uti in prima. Adde quòd hæc, utpotè brevior, non ita proximum inducat errandi periculum, si memoriter recitetur.

II. Finitâ oblatione, celebrans demittit oculos et calicem (1), quocum format crucis signum, in cuius medio eum postea deponit: quo ritu innuitur eandem esse sacrificii nostri victimam, quæ olim fuit in ligno crucis cruentè affixa: huic signo crucis occasionem dare etiam potuerunt

(1) Primus calix, quo Christus in cœna usus est, si credatur cuidam auctori citato sub nomine *Bedæ*, lib. de locis sanctis, cap. 2, fuit argenteus cum duabus ansis, et continere poterat sextarii Gallici quantitatem, id est, tertiam partem lagenæ communis vulgo *Chopine*. Venetiis autem conservatur alius ex achate, in quo similiter asseritur Christum Dominum consecrasse. Ast quidquid sit de hoc facto, certum est primis Ecclesiæ sæculis calices fuisse constructos ex variis materiis, ex auro, argento, cupro, stanno, ligno, vitro, cornu et lapide. Verùm rub. gen. miss. Rom. de præp. sacerd. n. 1. tantùm admittunt fusos ex auro vel argento, modò cuppa sit intus deaurata, et pars concava patenæ; alii ergo omnes jam ad sacrum ministerium sunt proscripti, et quidem lignei ob materiæ porositate, cornei ob nauseam quam pariunt, vitrei et lapidei ob fragilitatem, et ænei ob eruginem. De ligneis extat prohibitio in Triburiensi concilio anno 895, can. 18: de corneis verò in conc. Calchutensi in Anglia sub *Adriano I* anno 787. Quoad formam calicis, fuit diversa pro diversitate temporum. Verosimile est primis temporibus fuisse scyphos communes, constat interim calices olim, non modò, ministeriales, seu qui inserviebant communioni fidelium, sed et destinatos sacrificio, habuisse duas ansas; id quippe evincitur ex ord. Rom. ubi legitur: *levat archidiaconus calicem per ansas et tenet exaltans illum juxta Pontificem*. Fueruntque plures ponderis enormis, nempe 50, imò 200 librarum, sed hi inserviebant tantùm ad altaris ornatum; suspendebantur enim inter candelabra, aut in medio altaris, in iisque recondebatur ciborium, quasi in Tabernaculo. Hæc super re videri possunt cardinalis *Bona*, rer. liturg. lib. 1, cap. 25. *Bocquillot*, tract. miss., cap. 8, et Bened. XIV, de sacrif. miss., lib. 1, cap. 4 et seq. Quoddam hujus antiquitatis vestigium Tornaci videtur; in celebri quippe abbatia *S. Martini*, ciborium est suspensum in summitate altaris majoris, quod et in pluribus Galliæ Ecclesiis locum habet.

hæc verba : *In nomine Patris , et Filii , et Spiritus Sancti* , quæ ordinariè crucem annexam habent , et quibus hæc oblatio olim terminabatur , uti constat ex missali Carnotensi anni 1418 , et ex manuali anni 1604. Eadem verba habet liturgia actualis Carthusianorum.

III. Ante sæculum XV usu Romano calix locabatur ad dexterum latus oblatae seu Hostiæ (1) : ita expressè præscribitur in ordine Romano XIV (2). Dixi *usu Romano* , quia usus Cisterciensis longè antiquior sæculo XV calicem retrò post hostiam deponendum præscribebat. Idem invenitur in ordinario FF. Prædicatorum impresso anno 1254 , idque , si *Petro Lebrun* credatur , in Gallia et Germania vigeat. Cùm autem sub hac recta dispositione hostiæ et calicis commodius oblata signentur , Ecclesia Romana eam adoptavit in Sacerdotali impresso anno 1485 , et deindè in omnibus missalibus.

IV. Oblatio calicis fit in plurali , *offerimus* , quia sub missa solemnè , eam recitat simul cum celebrante diaconus. In missis autem privatis verbum illud sumi potest in singulari , eo modo quo princeps condens legem , dicit *mandamus pro mando* : nihil tamen obest quin tunc sumatur etiam pluraliter , quia non solus sacerdos , sed et omnes adstantes cum eo sacrificium offerunt , quorum nomine verè dicit *offerimus*. In hac oratione suppletur quod deest in oblatione panis , ubi oratur pro solis fidelibus christianis , hic autem

(1) *Micrologus* , cap. 10 , et *Durandus* , lib. 4 , cap. 30 , n. 22 et 23.

(2) Num. 55.

pro universo orbe ; scilicet directè pro membris Ecclesiæ, indirectè verò pro infidelibus et hæreticis, nempe ut convertantur, et sic ad salutem perveniant.

V. Deposito calice, celebrans illum pallâ (1) tegit, ne scilicet aliquid in vinum decidat. In altari, calice et aliis ipsi adjacentibus nonnulli inveniunt rationes spirituales, quas breviter in gratiam mysticorum referemus. Altare crucem repræsentat, calix sepulchrum novum, in quo Christi corpus fuit conditum, patena, et jam meliùs palla lapidem revolutum ad ostium monumenti, et corporale sindonem mundam, quâ *Joseph* ab Arimathæa Corpus Jesu involvit. Quæ omnia sequentibus versibus exprimuntur.

*Ara crucis, tumulique calix, lapidisque patena,
Sindonis officium candida byssus habet.*

VI. Sæculo XIII nondùm adulto in Romana Ecclesia, et aliis pluribus facta est oblatio panis et vini sub distinctis orationibus, *suscipe, sancte Pater*, et *offerimus*, prout patet ex testimonio *Alexandri Alensis* (2). Hæ tamen orationes videntur citato sæculo antiquiores ; siquidem in missa *Illyrici* inveniuntur, et in missali *Vallicellano* sæculi XI (3). Undè dicendum, quòd præviè ad

(1) Palla, apud antiquos, dicitur velum, peplum et sudarium. Theatini duplici pallâ utuntur, unâ scilicet ad tegendum calicem, alterâ verò ad tegendam hostiam. Græci loco pallæ tria vela adhibent; uno tegunt patenam, altero calicem, tertio majori utrumque.

(2) De Sacram. Euchar., q. 10, pag. 157.

(3) Præ se fert sæculum XIV, sed ut advertit *Dominicus Georgi*, hæc data fuit inscripta manu alienâ.

sæculum XIII jam fieret oblatio distincta panis et vini in aliquibus locis; sed communiter oblatio utriusque substantiæ fiebat simul et semel sub unica forma, quem ritum nunc sequuntur Carthusiani, Carmelitæ, et Dominicani. Imò ante sæculum XI in liturgia Romana nulla invenitur oratio præter secretam, quæ super præparato pane et vino mox recitabatur (1).

ARTICULUS XVI.

De orationibus in spiritu humilitatis et veni, Sanctificator.

I. TECTO calice, celebrans, inclinato corpore, manibusque junctis ac in altare depositis, secretò dicit: *In spiritu humilitatis*, etc. Hanc corporis depressionem, manuumque junctionem exigit sensus orationis, in qua fit mentio internæ humiliationis et contritionis, et quæ sensibiles corporis incurvatione redduntur. Fit autem hæc oratio voce secretâ ob cantum offertorii sub missa solemnî: et quamvis hæc ratio non militet pro missa privata, attamen secretò etiam dicitur in illa ad majorem uniformitatem utriusque.

II. Ad sensum capiendum hujus orationis, adverti debet cor humiliari quando erubescit super peccata præterita; conteri verò quando de iis summoperè dolet ex amore Dei. Porrò hæc cordis humiliatio et contritio est optima dispositio ad Deo placendum, dicente Prophetâ (2):

(1) *Micrologus*, cap. 11.

(2) Psalmo 50.

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicias. Hoc posito, sensus est: *in spiritu humilitatis, et in animo contrito* coram te suspirantes benignè et misericorditer *suscipiamur à te, Domine, qui tale sacrificium despiciere non potes, et sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie ut placeat tibi, Domine Deus,* nimirum ex parte nostrì.

III. Hæc oratio deprompta est ex ore trium puerorum, qui, antequam in fornacem mitterentur. iisdem verbis vitam Deo obtulerunt (1). Inveniturque in antiquissimis missalibus, in Mozarabico, in uno edito anno 900, cujus exemplar juxta *Lebrun* servatur Leodii et Aquisgrani, in Lugdunensi, et aliis ferè omnium religiosorum.

IV. Erectus celebrans et dicens, *veni Sanctificator*, etc., extendit et elevat manus simul et oculos ad crucem, ut his gestibus ostendat se supernum quærere auxilium; moxque manus demittit ad signandum oblata, pariter et oculos, ut intendant in motum manûs signantis. Antequam autem signet, manus præviè conjungit, quod semper observatur ante crucesignationem, nisi sinistrâ impediatur, uti accidit in signatione hostiæ et calicis ante consecrationem. Porro manus junguntur ante rei alicujus benedictionem, ad innuendum quòd Ecclesiæ ministri propriâ virtute benedictionem non infundant, sed Deus à quo illam gestu supplici, seu manuum junctione quærunt. Deindè deponit manum sinistram in altare ad majorem dexteræ signantis commo-

(1) In animo contrito et spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum et taurorum et sicut in millibus agnorum pinguium, sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi. *Daniël*, cap. 3. v. 59 et seq.

ditatem, et ad actionis illius venustatem; indecorum quippe videretur si illa in aëre pendula et immota sustineretur. Deponitur autem ante actum consecrationis extra corporale, munditiei causâ, ne scilicet illius contactu sordescat. Tum dicens, *benedic*, format crucem in oblata. Hanc crucem exigit ipsum verbum *benedic*; nam communiter benedicere et signare idem sonant: undè dum diaconus petit benedici ante evangelium, non tantùm id fit verbis, sed et cruce. Similiter dum idem invitat celebrantem ad benedicendum thus vel aquam, accedit simul ad id signum crucis: undè non mirum, quòd cruce signatio hic verbum citatum concomitetur. Aliundè hâc cruce monstratur omnem benedictionem à mysterio crucis, tanquam à causa meritoria venire.

V. Cùm frequens sit usus benedictionis per signum crucis infra missam, hic breviter dicemus de illius natura, et varia illius acceptione. 1.º Benedictio sumitur pro bono quod alicui impenditur: hoc sensu gratiæ et beneficia ex parte Dei sæpè in scripturis benedictiones nominantur. 2.º Sumitur pro bona appreciatione alicui facta, sive effectus sequatur, sive non, et ita *Melchisedech* benedixit *Abraham*, *Isaac*, *Jacob*, et hic filiis suis. Nosque identidem benedicimus proximo, dum ei apprecamur faustum diem, bonam noctem, felicem annum, aut aliam prosperitatem, sive temporalem, sive spiritualem. 3.º Sumitur pro precibus et cæremoniis, quibus Ecclesia certas personas quibusdam statibus aut dignitatibus aggregat. Et hoc sensu Ecclesia benedicit abbates, abbatissas, virgines, reges, etc. 4.º Tandem sumitur pro precibus et cæremoniis, quibus certæ res ab usu

profano trahuntur, et ad finem religiosum ele-
vantur; hoc sensu benedicuntur aqua diebus
dominicus, vestimenta sacerdotalia, vasa sacra,
etc., simulque his precibus et cæremoniis san-
cta mater Ecclesia postulat ut Deus in res istas
quamdam S. Spiritûs virtutem effundat ad obti-
nendum religioso earum usu effectus supernatu-
rales.

Hoc ultimo sensu panem et vinum ante con-
secrationem benedicimus, seu illa fini sacro et
supernaturali deputamus, petentes ut infusâ vir-
tute S. Spiritûs per consecrationem fiant corpus
et sanguis Christi; et indè patet discrimen in-
ter signa crucis quæ fiunt ante et post conse-
crationem, nam ante illam habent naturam be-
nedictionis, quæ cadere nequit in species semel
consecratas; quare post consecrationem fiunt alio
fine, prout suo loco dicemus.

VI. Superest jam levanda difficultas circa ob-
jectum orationis *veni, Sanctificator*. Primo aspectu
ob hæc verba *omnipotens, æterne Deus*, videtur
dirigi ad Patrem. Sed si res paulò attentius con-
sideretur, in ea Spiritum S. alloquimur. Nam
1.º verbum *Sanctificator* communi acceptione de-
signat tertiam Personam SS. Trinitatis; et in mis-
sis Ecclesiæ Gallicanæ ante sæculum XII, hic
recitabatur *veni, Sancte Spiritus*, etc., vel *veni
Creator*, nuncque, juxta ritum Mozarabicum,
dicitur *veni S. Spiritus, Sanctificator*. 2.º Eccle-
sia invocando Patrem non utitur verbo *veni*,
sed solùm quando sermonem facit ad Filium vel
Spiritum S., qui à Patre missi sunt, proindèque
dicentes *veni, Sanctificator omnipotens, æterne
Deus, et benedic hoc sacrificium tuo sancto nomini*

præparatum, invocamus non Patrem, sed Spiritum illius. Nec obstant in primis hæc verba *omnipotens æterne Deus*, quia æternitas et omnipotentia competunt tribus Personis divinis: undè in symbolo sub nomine *S. Athanasii* vulgato, legimus, *Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus*, et *omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus*. Nec deindè hæc *alia tuo sancto nomini præparatum*, quia sacrificium offertur Spiritui Sancto, sicut Patri et Filio: undè in oratione subsequente dicitur: *suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem*.

Quoad ætatem hujus orationis, invenitur in missa *Illyrici*, estque antiquior præcedente, si fides sit adhibenda cardinali *Bona* (1). Non tamen eam invenio in prioribus ordinibus Romanis, sed tantum in VI, et XIV; undè concludi debet, quòd non simul et semel ubique fuerit recepta, sed solum circa sæculum XIV, sedem fixam obtinuerit in liturgia Romana. *Micrologus* tamen, qui exstitit circa sæculum XI, ait (2) hanc orationem recitari juxta Gallicanum ordinem.

ARTICULUS XVI.

De lotione manuum et psalmo lavabo.

I. Post prædictam orationem, celebrans, junctis manibus, crucem salutatur, et præ reverentia erga imaginem crucis exit de medio et vadit ad cornu epistolæ, ubi lavat manus, seu potius, saltem in missis privatis, extremitates utriusque

(1) Lib. 2, cap. 9, rer. liturg., n. 5.

(2) In cap. 11.

pollicis et indicis. Ratio litteralis hujus cæremoniæ est mundities ; et cùm celebrans sub missa solemnè incensando sordes fumo thuris contrahere potuerit , ideo manus lavat integras ; sub missa autem privata , cùm in illa nihil veniat , quo manus maculari queant , ideo solos pollices et indices abluit , ut si fortè quasdam sordes ex oblatione panis et vini in iis contraxerit , purificentur. Verùm hæc lotio corporis est symbolum alterius , nempe cordis ; innuit quippe munditiem conscientiæ , non tantùm ab omni peccato mortali , sed et ab omni peccato veniali , quod ultimum , licèt non impediatur absolutè communionem , atamen offendit in hoc mysterio oculos divinæ sanctitatis ; obestque ne communicans plenarios hujus Sacramenti effectus consequatur.

II. Hæc manuum lotio sub missa est admodùm antiqua , siquidem de ea loquantur constitutiones apostolicæ , *S. Cyrillus Jerosolymitanus* , et *S. Fortunatus* (1). Verùm ritus illius quasdam passus est variationes , nam in primis constat ex variis missalibus apud *Devert* (2) , olim fuisse piscinam seu lavacrum ad parietem in cornu epistolæ , quò celebrans descendebat ad manus lavandas ; olimque fiebat immediatè post *oremus* , quod observatum fuit in Gallia et Germania usque ad sæculum IX ; in Ecclesia autem Romana usque ad sæculum XV , nam in ordine Romano XIV (3) præscribitur ablutio facienda post *oremus*. Equi-

(1) In vita *S. Marcelli* , episc. Parisiens.

(2) *Explanat. rub. miss.* , tom. 3 , Ep. 1 , cap. 5 , in rub. 91.

(3) Num. 53 , de colore nigro.

dem alia ad libitum Pontificis linquitur post incensationem facienda ; sed ut in eodem ordine habetur , hoc non fiebat communiter in Ecclesia Romana. Has duas lotiones nunc servant Carthusiani sub missa solemnī ; semel enim dum cantatur symbolum , vel si non cantetur , tempore offertorii , et iterum factā oblatione manus lavant. Ritus ergo lavandi manus factā oblatione oriri incepit sæculo XIV , uti liquet ex ordine Romano XIV suprā citato , generaliterque receptus in Ecclesia Romana videtur sub sæculo XV.

III. Sacerdos infra manuum lotionem , earumdemque abstersionem recitat partem psalmi 25 *Judica me , Deus* , incipitque à versu 6 *lavabo inter innocentes manus meas* , etc. Carthusiani et Dominicani hunc tantum et alterum versiculum recitant , quatenus hi solūm præsentī lotionis cærimonix videntur alludere ; sed ritu Romano reliquum psalmi in finem præscribitur , uti invenitur in antiquis liturgiis *SS. Chrysostomi et Basilii* , idque ut celebrans sub digitorum abstersione in Domino occupetur.

Sensus psalmi.

Objectum imprimis hujus psalmi est *David* gravissimis calumniis oppressus , quasi intendisset *Saulem* de medio tollere ; in eoque Deum advocat in testem et judicem suæ innocentix , ac id præstat quinque primis versibus dicens : *judica me , Deus* , etc. Idem quoque attentat demonstrare à sui animi dispositione : undè dicit

1.º *Lavabo inter innocentes manus meas , et circumdabo altare tuum , Domine.* Ad horum intel-

ligentiam , sciendum quòd Judæi tabernaculum ingressuri , priùs lotionè se purificarent. Hoc supposito , ait David : lavabo manus meas , non more hypocritarum , qui corporis lotionè se justos simulant , cùm intùs sint corrupti et contaminati ; sed inter innocentes , seu cum justis , quorum respectu lotio externa est signum internæ puritatis. *S. Augustinus* hic per manus opera intelligit , quorum manus sunt instrumenta ; et secundùm hanc acceptionem sensus est : sanctificabo inter justos opera mea , et sic sanctificatus me præsentabo ad altare tuum , seu illud circumdabo præsentia meâ. Hic sensus litteralis congruit perfectè sacerdoti actualiter celebranti , modò mores his dictis respondeant.

2.º *Ut audiam vocem laudis , et enarrem universa mirabilia tua.* Quid sit Propheta acturus ad altare ingressus exprimit dicens : Ut audiam vocem laudis coram tabernaculo tuo emissam à levitis et cantoribus voce et instrumentis musicis , quibuscum vocem miscebo , ut simul cum eis enarrem mirabilia tua. Sacerdos eodem sensu hæc verba habere potest , nam sub missa solemnè audit laudes Dei à choro cantatas ; ipseque enarrat Dei mirabilia , tum cantu , tum privatâ lectione ; sub missa autem privata audit laudes Dei à se narratas et mirabilia Dei prædicat , præsertim referens historiam institutionis Eucharistiæ , et eam conficiens verbis consecrationis.

3.º *Domine , dilexi decorem domûs tuæ , et locum habitationis gloriæ tuæ.* Propheta declarat se mœstitiâ præsertim affici , eò quòd exul domum Dei frequentare nequeat ; amanti enim Deum nihil pulchrius videtur quàm illius tabernaculum :

undè dicit: dilexi decorem seu pulchritudinem domûs tuæ, et locum habitationis gloriæ tuæ, quia in illum sæpè descendebat nubes lucida in signum divinæ præsentia.

Cùm decor domûs Dei sub novo Testamento sit longè major, quàm Tabernaculi veteris, ob præsentiam realem Dei in altaribus et tabernaculis Christianorum; hinc sacerdos in deliciis habere debet inhabitare locum præsentia divinâ illustratum, et consequenter contorquens sententiam Prophetæ ad templa et altaria novæ legis, toto cordis affectu dicere debet: *dilexi*, etc.

4.º *Ne perdas cum impiis, Deus, animam meam, et cum viris sanguinum vitam meam.* Cùm Deum in judicem sui advocaverit, primis verbis psalmi hujus *Judica me*, etc., jam orat et quærit ut proferat sententiam sibi favorabilem, seu ut eum non damnet, uti damnare solet impios, id est, eos qui sine religione vivunt, identidem moriuntur, et in æternum pereunt. In Hebræo pro impiis legitur peccatoribus, sed sensus in idem ferè redit. Et cum viris sanguinum vitam meam; vita sæpè sumitur pro tota persona; adeoque idem est ac si Propheta diceret: ne me perdas cum viris sanguinum.

5.º *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Qui sint impii et viri sanguinum, declarat, dicens eos esse, qui muneribus excœcati et corrupti, impietatem erga Deum committunt, et injustitias erga homines, eos lædendo in fama, in bonis fortunæ et etiam vitæ. Eodem omninò sensu hos duos versus celebrans legere potest.

6.º *Ego autem in innocentia mea ingressus sum, redime me et miserere mei.* Causam denuò *David* adfert, cur perire non debeat cum peccatoribus, quia nempe innocenter vixit; ideoque fiducialiter addit: redime me et miserere mei, quibus verbis petit, ne in impiorum societatem unquam veniat, vel in eorum ruinam sempiternam.

7.º *Pes meus stetit in directo; in ecclesiis benedicam te, Domine.* Prima pars hujus versiculi continet locutionem metaphoricam quâ *David* significat se constanter ambulasse in rectis justitiæ semitis; sed simul agnoscens id venire ex speciali gratia Dei, ideo in illius recognitionem addit: in ecclesiis, seu piorum conventibus, benedicam te, Domine: nonnulli in his ultimis verbis advertunt prophétiam, quatenùs psalmi Davidici per totum terrarum orbem in ecclesiis cantantur.

Cùm sacerdos ordinariè ob conscientiam super iniquitates multas remordentem dicere nequeat cum *David*: *Ego autem in innocentia ingressus sum*, etc., sub his verbis ingemiscere debet, et proponere deinceps majorem erga Deum fidelitatem.

8.º Concluditur psalmus *Gloria Patri*, etc., exceptis missis de *requiem* et de tempore passionis, in quibus servatur mos antiquus juxta quem hæc doxologia non erat psalmis annexa. Aliundè sapit lætitiã, quæ non congruit officio lugubri.

ARTICULUS XVIII.

De oratione suscipe, sancta Trinitas.

I. LOTIS manibus, celebrans redit ad medium altaris, undè meræ honestatis gratiâ discesserat, ne coram Tabernaculo, vel imagine crucifixi manus lavaret; et eâdem ratione, exposito SS. Sacramento è gradibus descendit; aliundè ad medium eum revocat ipsa oratio, quam ad Deum fusurus est. Constitutus ergo in medio altaris, ad Deum oculos elevat, cui oblationem facturus est: deindè situm humilem orantis et supplicantis assumit, id est, manus junctas in altare deponit, quasi Christo per altare repræsentato se uniens ad orandum cum ipso et per ipsum, ac corpore inclinatus; voce secretâ, quæ ortum ducit ex cantu offertorii infra missam solemnem, quo alta impediretur, dicit: *suscipe, sancta Trinitas*, cujus sensus hîc subjicitur.

II. *Suscipe, sancta Trinitas*, id est, Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus *hanc oblationem, quam tibi offerimus* in plurali, quia celebrans loquitur nomine omnium adstantium, qui suo modo cum sacerdote sacrificium offerunt. *In memoriam passionis* conformiter ad hoc Christi præceptum, *hæc quotiescumque feceritis, in mei*, seu passionis meæ, *memoriam facietis*. Dominicani in hac oratione solius passionis mentionem faciunt, sed sequentes usum Romanum addunt *Resurrectionis et ascensionis Jesu Christi Domini nostri*, quatenùs his mysteriis completum fuit Christi sacrificium: in Passione enim victima occubuit, in Resur-

rectione ad instar holocausti, quod igne totum cremabatur, quidquid mortale erat in Christo desiit; in Ascensione autem Christus *per proprium sanguinem introivit in sancta, æternâ redemptione inventâ*, sicque fuit victima Deo oblata. Græci mysteriis adventûs S. Spiritûs addunt memoriam, ad significandum expressiùs partem sacrificii, scilicet communionem; nam per missionem S. Spiritûs in apostolos, visibilis communicatio facta est inter cœlum et terram.

Et in honore B. M. V. et B. Joannis-Baptistæ, et SS. apostolorum Petri et Pauli, et istorum et omnium Sanctorum, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, et illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris. Per eundem Christum Dominum nostrum. In nonnullis missalibus legitur *in honorem B. M. V.* etc., sed certò legendum est *in honore*, prout habetur in omnibus missalibus accuratè editis, ut in iis quæ prodierunt sub Leone X, Pio V, Clemente VIII, et Urbano VIII: nam ponenda est differentia inter *in honore* et *in honorem*; aliàs in brevi oratione bis idem repeteretur, cum statim subsequatur *ut illis proficiat ad honorem*. Dicendum ergò quòd *in honore* idem significet, ac in memoria, quo sensu in antiquis auctoribus Latinis legitur *in honore deorum*, id est, in festo seu memoria deorum, et in præfatione de Beata: *et te in veneratione B. M. V.*; hinc sensus reddi debet: *suscipe... hanc oblationem in memoriam passionis...* et in commemoratione quam agimus Sanctorum, *fac ut illis cedat in honorem*. Fit autem mentio expressa B. M. V., quia victimam sacrificii in suo utero genuit; S. Joannis-

Baptistæ, quia illam adesse præsentem Judæis monstravit; *SS. Petri et Pauli*, quia victimam illam non modò immolaverunt, sed et speciali zelo sacrificium missæ ubique promulgârunt. Additur: *et istorum*, quo pronomine olim designabantur ex antiquis sacramentariis Sancti quorum festum vel commemoratio fiebat, sed jam eo indigitantur Sancti quorum reliquiæ in altari requiescunt. Deindè additur: *et omnium Sanctorum*, qui Deo placuerunt à creatione mundi, et jam Deo sunt uniti in æterna beatitudine, *ut illis proficiat ad honorem*; Sancti quippè ex oblatione sacrificii quamdam percipiunt lætitiâ et honorem, dum vident regem suum actione hujus mysterii in terris glorificatum. *Nobis autem ad salutem*, ad quam nobis procurandam sacrificium missæ est institutum, et ut hanc salutem efficacius assequamur, intercessionem Sanctorum, quorum in hac oratione fit mentio specialis vel generalis, vel in canone, aut in cursu missæ, requirimus, *et illi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam agimus in terris.*

Sed difficultas à nonnullis movetur, quomodò sacrificium quod soli Deo debetur, in honorem Sanctorum offerri possit? Equidem sacrificium soli Deo offerri potest, et ideò infra offertorium sermonem ad illum solùm dirigentes dicimus: *suscipe, sancte Pater, offerimus tibi, Domine*, sed hoc non impedit quominùs aliquo modo cedat in honorem Sanctorum; quod ut intelligatur, sciendum est omnes Sanctos unum corpus cum Christo componere; undè dum Christus in sacrificio se offert, et Sancti se cum eo, per eum

se Deo simul offerunt. Porrò talis associatio et oblatio est Sanctis grata et honorifica, et sic sacrificium, quod directè tendit in laudem Dei, indirectè etiam Sanctos honorificat.

III. Quatuor primis sæculis, Ecclesia suas preces soli Deo Patri offerebat, et implicite tantùm aliis Personis divinis ob unitatem naturæ (1), non autem sub expresso nomine SS. Trinitatis, ne pagani et infideles indè materiam scandali sumerent, dicendo Catholicos plures deos colere. Verùm pacificatâ Ecclesiâ, ac multiplicatis templis in quibus soli fideles admittebantur, hæc præcautio cessavit, et publicè invocata fuit SS. Trinitas, et notanter sub offertorio his verbis: *suscipe, sancta Trinitas*. Quando autem locum in liturgia invenerit, præcisè non constat: interim invenitur in missali *Illyrico*, quod ad sæculum VII refertur, item in duobus antiquis Ultrajecti impressis, et quibusdam paucis aliis: notatque *Micrologus*, qui scripsit circa sæculum XI, nondùm in ordinem Romanum fuisse inventam, imò nec in ordinem Gallicanum; nam Carthusiani nati 1084, et qui missale Gratianopolitanum assumpserunt, eam non habent. In liturgia tamen Carmelitarum et Dominicanorum, qui circa initium sæculi XIII orti sunt, invenitur in paucis à nostra dissimilis, sed non mirum, quia circa illud tempus missæ Romanæ fuit aggregata, siquidem in ordine Romano XIV legatur.

(1) Conc. Carthaginense vulgò III, c. 23.

ARTICULUS XIX.

De orate, fratres, et secretis.

I. Post præfatam orationem, celebrans altare osculatur, deindè se vertit ad populum; dicens autem voce mediâ *orate, fratres*, extendit et manus jungit; tum per suam dexteram, seu circum perferens se denuò ad altare convertit, interim dicens voce secretâ: *ut meum ac vestrum sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem*. Et ut minister absolvit orationem suscipiat, voce secretâ addit *amen*. 1.º Se conversurus ad populum, altare osculatur per modum salutationis. 2.º Ad populum se convertit quia eum allocuturus est. 3.º Dicit voce mediâ, seu intelligibili à proximè stantibus. *orate fratres*; non autem altâ, ne sub missa solemnè cantum perturbet. 4.º Sub dictis verbis manus extendit et jungit, ut non tantùm voce, sed et gestu populum ad orationem moveat. Hæc ratio expressè refertur in consuetudinibus ordinis Cluniacensis, ubi legitur: *Versus adstantes divinæ meditationi insistere nutibus et voce supplicat*. 5.º Redit ad altare per suam dexteram ob jacens ibi missale, è quo secretas lecturus est. Equidem nulla nunc ratio exigit, ut celebrans se ad altare convertat per dexteram potiùs quàm per sinistram, cum in medio legat secretas, sed olim ex antiquis ordinariis secretæ legebantur in cornu evangelii (1);

(1) Dicit *orate, fratres...* dum autem ad altare vultum re-
duxerit, non eâ parte, quâ se ad chorum convertit, sed et

adeoque ut viâ breviori ad librum accederet, per dexteram se movebat. Huncque morem antiquum servat Ecclesia, præsertim, cum sit jam indifferens, quâ parte fiat conversio sacerdotis ad altare.

II. In hoc sermone ad populum, sacerdos fideles appellat *fratres*, idque usu antiquissimo, quo primi Christiani se fratres dicebant, uti evincitur ex epistolis *S. Pauli* et aliorum. Porrò per fratres intelliguntur et mulieres sacrificio adstantes, importanturque in sexu nobiliori: et ita concionatores utrumque sexum alloquentes hodièdum simpliciter dicunt: *fratres charissimi*. Olim tamen in quibusdam locis mentio utriusque sexus explicita fiebat, undè in missali Ecclesiæ Coloniensis impresso anno 1133 legitur: *orate pro me fratres et sorores*.

III. Dicto *orate fratres*, celebrans prosequitur secretò *ut meum ac vestrum sacrificium*, et interea ad altare se convertit, benè autem dicit *meum ac vestrum*, quia sacrificium non solum à sacerdote, sed simul à populo offertur, *acceptabile fiat apud Deum Patrem, omnipotentem*, non ex parte victimæ, quæ semper Deo placet, sed ex parte offerentium, qui defectu debitæ dispositionis sub illius oblatione, iram Dei in se possunt excitare.

IV. Ut dixit sacerdos *orate, fratres*, minister nomine populi parens illius invitationi, et conformiter ad illius intentionem, vocem elevat et dicit: *suscipiat Dominus sacrificium de manibus tuis (vel meis) ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ*

ad librum in sinistra (nunc dextra) accedens... Ut autem sacerdos secretas finierit, retrahat se contra medium altaris. Ordin. Præmonstrat. in Bibl., pag. 894.

sux sanctæ. 1.º Linquttur arbitrio ministri, ut dicat *de manibus tuis vel meis*; cùm enim, ut mox dictum est, fideles suo modo sacrificium offerant cum celebrante, utrovis modo bonum sensum refert oratio: attamen cùm celebrans sit proprius hujus mysterii minister, communissimè dicitur *de manibus tuis*. Deindè duo petit in hac oratione: 1.º Ut sacrificium cedat in gloriam Dei, ad quam primariò est institutum. 2.º Ut quà propitiatorium et impetratorium cedat in utilitatem adstantium et totius populi fidelis; primò autem sui meminit plebs sacrificio præsens, et deindè Ecclesiæ, quia charitas benè ordinata incipit à seipso. Absoluto *suscipiat*, sacerdos confirmans hanc populi precationem, subdit *amen*, non altâ voce, uti habet *Claudius Devert* contra apertam missalis Romani mentem, sed secretâ, quia confirmatio hæc per *amen*, fit coram Deo, et aliundè sub missa solemnî, cujus ritus sæpè in privata retinentur, vox alta ob cantum offertorii impediretur.

V. Hæc ad orationem monitio *orate, fratres*, est antiquissima, utpotè quæ legitur in Missa *Illyrici*, et in vetustissimis ordinibus Romanis (1). Et quamvis idem *Illyricus* mentionem faciat partium sequentium, nempe, *ut meum ac vestrum sacrificium*, etc., et *suscipiat*, etc.; attamen earum usus in missa non fuit tunc temporis communis: undè *Remigius Antissiodorensis*, qui floruit circa finem sæculi XI, hæc verba *ut meum*, etc. non habet ut recitanda, sed præcisè iis explicat quo fine sacerdos dicat *orate, fratres*, nempe

(1) Ordo II, n. 9. in fine, et in VI, n. 10.

ut suum et populi sacrificium acceptabile fieret Domino; cùm autem esset mera explicatio, alii eam omittebant, quod et jam faciunt Cistercienses et Carthusiani; alii verò, ut notat *falsus Alcuinus* sæculo X, eam secretò addebant; donec tandem publicè fuerit adoptata in missali Romano anni 1551 (1), sed juxta quod sacerdos versus ad populum totam orationem *ut meum*, etc., absolvebat, responsique *suscipiat* finem exspectabat, antequam ad altare se converteret (2). Idem habet cær. Benedictinorum, missale Parisiense anni 1559, et alia quædam, profectòque rem naturaliter spectando hæc saltem verba *ut meum*, etc., videntur à celebrante ad populum verso, et quidem altà voce proferenda, sed res nunc aliter se habet; rubricà quippe missalis Romani dici debet secretò, et à celebrante ad medium altaris gyrante. Huic moderno ritui verosimiliter causam dedit præcipitatio ministrorum, qui non expectantes finem hujus orationis *ut meum*, etc., statim post *orate fratres*, dicebant *suscipiat*: undè factum est, ut sacerdotes voce remissâ absolverent suam partem. Interim Ecclesia hæc verba *ut meum*, etc., in ipsorum ore reliquit, ut piè occuparentur sub oratione populi; nec sunt omninò vana, eò quòd secretò proferantur; habere enim possunt sensum sequentem *orate, fratres*, et ego simul oro, *ut meum*, etc.

(1) Videtur antè præscripta in ordine Romano XIV, n. 55, ubi legitur Pontificem dixisse *orate fratres*, etc. illud autem etc., indicat aliquid fuisse additum.

(2) Se vertens ad populum dicit *orate pro me, fratres, ut meum*, etc.; circumstantes verò respondent *suscipiat... Sanctæ, amen*. Deindè gyrans se ex parte sinistra dicit junctis manibus secretam. Miss. Rom. anni 1551.

VI. Oratio *suscipiat* olim etiam locum in liturgia non tenebat; nam dicto *orate, fratres*, populus in silentio pro sua devotione orabat, uti fit apud Carthusianos et Dominicanos, cujus vestigium etiam retinimus in officio feriæ vj. infra majorem hebdomadam. Nullaque talis responsio invenitur in missalibus Ecclesiæ Leodiensis anno 1515, 1527 et 1542 impressis. Tempore *Amalarii*, id est, sæculo IX, loco *suscipiat*, quidam versus è psalmo 19 ponebantur, scilicet, *Mittat tibi auxilium de Sancto, et de Sion tueatur te. Memor sit sacrificii tui et holocaustum tuum pingue fiat* (1). E quibus Carmelitæ retinuerunt *memor sit*, etc. In liturgiis *SS. Chrysostomi et Jacobi* hæc vel similis oratio legitur: *Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi*. Auctor sæculi XIII (2) has omnes formulas refert, et addit ministrum Ritu Romano unam vel aliam pro libitu assumere. Verùm *S. Pius V* responsum ad *orate, fratres* fixit his verbis et non aliis, *suscipiat Dominus*, etc.

VII. Celebrans ad altare reversus, et dicto *amen*, manibus extensis, et suppresso *oremus*, legit voce submissâ secretas, quas concludit more ordinario. 1.º Sub his orationibus extendit manus ad exemplar Moysis, in monte orantis. Olim legebantur manibus junctis, uti patet ex missali antè citato, nempe anni 1551, huncque ritum sequuntur Carthusiani; quippe qui majoris causâ humiliationis secretas manibus junctis absolvunt.

2.º Hic non præmittitur *oremus*, eò quòd *oremus* ante offertorium afficiat omnia quæ sequuntur

(1) *Amalarius*, de Eccl. offic., lib. 3, cap. 19.

(2) *Durandus*, Ration. offic. lib. 4, cap. 31, n. 5.

tur usque ad præfationem, vel quia sufficienter populum ad orandum suscitavit his verbis: *orate, fratres*. Usus tamen Cisterciensis et ordinarium Carthusianorum præscribunt *oremus* ante primam orationem, et aliud ante sequentes, si dentur. Idem praticant Carmelitæ et Dominicani, qui et ante *oremus* præmittunt *Domine, exaudi orationem meam*, etc. Missale Leodiense anni 1515, præponit secretis *Dominus vobiscum*. Eandem salutationem præ se ferunt nonnulla antiqua missalia diversarum Ecclesiarum; sed cum celebrans hic oret secretò, et absque ulla sensibili communicatione cum populo, rectè hæc præludia ad secretas prætermittit ritus Romanus: nulla tamen implicantia in ore eorum qui præmittunt *oremus, Dominus vobiscum*, cum responso *et cum spiritu tuo*; induunt enim, uti in recitatione privata divini officii, personam populi, dum sibi respondent; quo medio hæc bonum acquirunt sensum.

3.^o Hæ orationes secretò leguntur ob cantum offertorii, qui non rarò ad præfationem usque protrahitur, et etiam ad majorem celebrantis recollectionem, vel ad imitationem Christi, qui ad orationem solitudinem quæsivit, et in silentio oravit (1). Vocantur autem hæ orationes *secretæ*, juxta nonnullos, à verbo *secerno*, seu à secretis catechumenis et peccatoribus, qui nempe ante offertorium è cœtu fidelium mittebantur, vel, juxta alios, à secretis pane et viuo in materiam consecrationis, ex iis quæ à populo erant oblata: undè in sacramentario *S. Gregorii* et in quibus-

(1) *Amalarius*, in *Ecloga*, cap. 27.

dam missalibus antiquis dicuntur orationes super oblata. Verùm communis sententia habet dici secretas à voce submissa, quâ leguntur. (1)

4.º Has orationes celebrans concludit more ordinario, id est, manuum junctione, ac capitis inclinatione sub nomine JESU, dum in conclusione reperitur. Super hoc ritu videri possunt ea quæ diximus de collectis ante epistolam. Post primam conclusionem, si aliæ orationes sequantur sibi respondet *Amen*, quia ob vocem secretam, hoc responsum dare ei nequit minister.

VIII. Oratio secreta ejusdem est antiquitatis ac orationes in exordio missæ ante epistolam, ac in fine post communionem; eam quippe continent sacramentaria Gelasianum et Gregorianum; sed in iis una ferè semper est oratio, quam usus sensim multiplicavit ad numerum earum quæ ante epistolam leguntur: porrò secretarum scopus est obtinendi rorem benedictionum divinarum in munera oblata, ut nobis prosint ad vitam æternam, quod expressè importatur in secreta dominicæ V post Pentecosten, quæ sic habet in missali Romano: *propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes famulorum tuorum benignus assume, ut quod singuli obtulerunt ad honorem nominis tui, cunctis proficiat ad salutem.*

(1) *Amalarius*, lib. 3, cap. 20. *Rupertus Tuitiensis*, lib. 2, de div. offic., cap. 5. *Hugo Victorinus*, de eccles. offic., lib. 2, cap. 25. *Honorius Augustodunensis*, lib. 1, *Gemmæ animæ*, cap. 21, et alii plures antiqui scriptores.

ARTICULUS XX.

De præfatione.

I. PRÆFATIO idem sonat ac prælocutio, qualis ad caput librorum apponi solet ad parandam lectoris mentem; undè etiam præfationis missæ finis est mentem elevandi ad choros usque angelorum, eamque inflammandi ardoribus seraphicis, quibus Spiritus illi cœlestes diu noctuque laudes Deo concinunt. Disputatur à quibus verbis præfatio exordium sumat. Quidam initium illius ponunt in his verbis: *verè dignum et justum est*, quia in antiquis sacramentariis præfatio ab illis intitulatione: undè, juxta hanc opinionem, ea quæ præcedunt, sunt quoddam ad præfationem præludium. Alii verò ut initium præfationis habent *per omnia sæcula sæculorum*, sed his contradicunt nonnulli, tenentes citata verba ad secretas pertinere, et præfationem incipere à populi salutatione. *Cavalieri* autem indubium dicit præfationem ab illis verbis *sursùm corda* exordium sumere. Verùm hæc quæstio, cùm tanti momenti non videatur, remotâ hac super re longâ et fastidiosâ discussione, dicimus nihil obesse, quominus præfationis initium desumatur à verbis *per omnia sæcula sæculorum*, cùm in missalibus modernis post hanc intitulationem *præfationes* subjiciantur *per omnia sæcula*, etc., *Dominus vobiscum*, etc.; adeoque signum est ea ad præfationem pertinere. Equidem hæc verba *per omnia sæcula* spectant ad secretam, quæ illis concluditur, sed nihil obest, quominus sit finis secretæ, simul et initium præfationis.

II. Celebrans antequam proferat *per omnia sæcula*, pro sui commoditate manus in altare hinc et inde deponit, vel fortè ut hoc signo excitet populi vel chori attentionem: Carthusiani tamen more ordinario, id est, uti sub aliis collectarum conclusionibus, manus junctas retinent. Celebrans ergo manibus depositis, et novo igne in silentio accensus, juxta illud psalmi 38: *obmutui, et in meditatione mea exardescet ignis*, rumpit silentium, et altà voce clamat *per omnia sæcula sæculorum*; quibus verbis excitat populum, ut respondeat *amen*, seu ut approbet et confirmet petita in secretis.

III. Salutatur deindè populum dicens: *Dominus vobiscum*, cui minister respondet: *et cum spiritu tuo*. Cùm instet actio sacrificii, et ad eam dignè tractandam necesse sit ut sacerdos et populus pleni sint Spiritu Dei, congruè hæc mutua saluatio hic locum habet. Sub illa celebrans non se vertit ad populum, quia olim post offertorium velabatur sanctuarium, sic ut subtraheretur à conspectu populi; adeoque frustrà ad eum vertisset faciem. Alia hujus addi potest ratio, nempe quòd sacerdos per *orate fratres*, vale quoddam dixerit populo, deinceps soli Deo vacaturus; proindeque non potest amplius faciem ab altari declinare.

IV. Dicens *sursùm corda*, manus ab altari elevat, ut non tantùm voce, sed et gestu populum hortetur, cui etiam in missa cantata concordat tonus, qui sub *sursùm* gradatim elevatur. Populus hæc exhortatione pressus respondet: *habemus ad Dominum*, ad quorum verborum veritatem necesse est ut corda adstantium sub illis

ad Deum sint elata; aliàs os eorum Deo mentiretur. Cavere etiam debet celebrans, ne alios admovens actuali distractione inficiatur.

V. Prosequens *gratias agamus Domino Deo nostro*, sub primis verbis manus conjungit, ut humiliter compositus majori cum veneratione respiciat in faciem Christi, dum dicit *Deo*; quâ oculorum elevatione, designat objectum cui gratias agit; moxque sentiens Dei magnitudinem, eâque quasi obrutus, oculos demittit, eique caput humiliat addens *nostro*. Dicit etiam potest cum quibusdam, quòd junctio manuum, elevatio oculorum, et inclinatio capitis exterius exprimant id quod his verbis *gratias agamus*, etc. importatur; sic ut non tantùm verbis, sed et actionibus insinuet gratias esse Deo reddendas.

Respondet minister: *Dignum et justum est*. Dignum in primis, creaturâ nempè, cui honorificum est gratias agere suo benefactori; et cum non solùm creaturam deceat hæc actio gratiarum, sed illi insit quædam justitiæ obligatio, idcirco additur *et justum est*. Porrò hæc actio gratiarum cadit super omnia beneficia humano generi à Deo collata, at maximè super beneficia Incarnationis Verbi, redemptionis humanæ et institutionis Eucharistiæ.

Dato hoc responso, celebrans, extensis manibus in signum dilatati cordis, clarâ voce legit præfationem; circa quam duo supersunt dicenda, scilicet de sensu præfationis communis, et de præfationum antiquitate et numero.

VI. Sacerdos extensis, ut suprâ dictum est, manibus, prosequitur *verè dignum et justum est*, sensu jam dato, quibus confirmat verba mini-

stri, quibusque addit *æquum et salutare*. *Æquum*; seu rationi consonum, quod idem ferè significat ac *justum*: non tamen inutiliter idem hic bis ponitur, quia repetitio sermonis est confirmatio veritatis. *Et salutare*, quatenùs humilis beneficii recognitio novum à Deo trahit.

Nos tibi semper et ubique gratias agere. Cùm Deus non cesset creaturis suis benefacere, hinc debitum laudis ubique locorum et continuò easdem creaturas afficit; adeoque celebrans modum non excedit, dum clamat *nos tibi semper*, etc.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, per Christum Dominum nostrum. Creaturæ de se pauperes et egenæ, sunt omninò impares ad laudandum Deum adeo excelsum, sanctum, omnipotentem et æternum; necesse est ergo ad hoc, ut earum laudes eleventur et dignificentur meritis Christi; ideoque Ecclesia recurrit ad magnum mediatorem, ut gratiarum actio, *Per Christum Dominum nostrum* Deo oblata, ascendat ad eum in odorem suavitatis.

Per quem Majestatem tuam laudant Angeli. Quamvis Angeli non indiguerint Christi redemptione, attamen verbo Dei fuerunt creati, et ejusdem meritis eorum numerus, qui ruinâ apostatarum valdè fuit minutus, ex electis est complendus; proindeque nil obest, quominùs Angeli Deum per suū conditorem et benefactorem glorificent.

Adorant Dominationes, agnoscendo suū nihilum et supremam Dei excellentiam. *Tremunt Potestates*, non actu metùs et formidinis, sed præ admiratione splendoris è facie Christi emanantis. *Cæli cælorumque virtutes*. Per cælos, juxta *Amararium*, throni intelliguntur, quia Deus dicit,

cœlum mihi sedes est, et throni sic vocantur, quòd in illis Deus sedeat. Adjunguntur tandem *seraphim*, seu spiritus supremi totius hierarchiæ Angelorum. Sub his autem sex choris, qui in præfatione exprimuntur, alii implicitè continentur. Corpus angelicum, ut omnibus notum est è sacris paginis, dividitur in tres ordines, quorum quilibet tres choros sub se continet. Primus complectitur seraphinos, cherubinos et thronos; secundus dominationes, virtutes et potestates; et tertius principatus, archangelos et angelos: porrò ex primo ordine duo chori in præfatione ponuntur, scilicet, cœli seu throni et seraphim et implicitè tantùm *cherubim*. Secundus verò ordo integer refertur; siquidem exprimantur dominationes, potestates et virtutes; tandem è tertio pars tantùm una ponitur pro toto, scilicet, angeli pro principatibus et archangelis. Sequitur *sociè exultatione concelebrant*, tota quippe spirituum cœlestium vita et felicitas in hoc stat, ut Deum simul et continuò laudibus celebrent, *cum quibus et nostras voces, ut admitti jubeas deprecamur*. Conscii de nostra indignitate Deo supplicamus, ut voces nostras debiles et infirmas cum vocibus angelorum confundat, ut eorum dignitate sustineantur, et ad thronum divinæ Majestatis evebantur. *Supplici confessione dicentes*. Laudes nostræ frustrà angelicis miscerentur, nisi procedant è corde humiliato, seu placere Deo nequeunt, qui superbis resistit, et solos humiles exaltat; undè meritò ad cantandum sacrum Trisagion, de quo mox, professionem humilitatis facimus his verbis, *supplici confessione dicentes*.

VII. Usus præfationum in missa certò est antiquissimus, et communiter ad apostolorum tempora refertur; earum enim specimina inveniuntur in constitutionibus apostolicis, apud SS. *Cyprianum*, *Augustinum*, et vetustissimos Patres, earumdemque numerus ita crevit, sæculis subsequen- tibus, ut quodlibet festum suam haberet præfationem propriam, prout patet ex antiquis libris, et notanter è sacramentario *S. Gregorii*, à *Medardo* notis illustrato. Quando autem earum numerus fuerit resecatus, non constat præcisè. Id tamen, ait *Merati* (1), non videtur accidisse ante sæculum X vel XI, et reverà hæc reformatio priùs reponi nequit, cùm primum monumentum authenticum proscribens multitudinem præfationum, et eas reducens ad decem, inveniatur in concilio Londinensi habito anno 1175. Porrò in catalogo hujus concilii, omnes præfationes quibus nunc utimur, reperiuntur præter communem, quæ, licèt antiquior, posteriùs tamen venit in missale Romanum, nam ut advertit *Merati* loco citato, in missalibus impressis sæculo XII deest. Equidem citatur epistola *Pelagii II*, qui floruit sæculo VI, in qua novem tantùm præfationes recipiendæ decernuntur, sed à criticis fictitia creditur, illiusque veritatem eleganter impugnat *Merati* loco suprà citato. Allegatur deindè decretum Synodi Placentinæ sub anno 1095, quo novem præfationibus dici solitis adjuncta fuit præfatio de Beata. Verùm in solo *Georgi* decretum illud invenitur, qui et illud refert solùm ex ore alieno, super quod ædificare

(1) Tom. I, p. 1, tit 12, n. 6.

non præsumpsi, interim supradictis nostris non discordat, et hoc nobis sufficit.

In Ecclesia Græca, ii qui sequuntur ritum *S. Jacobi*, pro omni die et festo unam tantum habent præfationem communem. Pariter ii qui liturgiam *S. Basilii* retinent, unam etiam tantum recitant præfationem ab alia parum dissimilem. Hæ duæ præfationes sunt nostris longiores, cum quibus tamen concordant in gratiarum actione, et Angelorum invocatione. Earum exemplar videri potest apud cardinalem *Bona* (1). In missalibus PP. Franciscanorum XI præfationibus missalis Romani, adjungitur propria *S. Francisci*.

Quoad auctores, communis passim datur *S. Gelasio*, aut *S. Gregorio Magno*; præfatio verò de Beata est *Urbani II*, aliæ autem tribuuntur *Pelagio II*, sed ex epistola hujus Pontificis, quam suprâ fide suspectam diximus, sic ut harum auctor sit ignotus.

VIII. Finitâ præfatione, celebrans se mediocriter corpore inclinât, manibusque junctis ante pectus, voce remissâ seu mediâ inter altam et secretam dicit: *Sanctus*, etc. Ad *benedictus*, etc., se erigit, seque signat, interim ministro campanulam pulsante. 1.º Se inclinât ob hæc verba præcedentia *supplici confessione dicentes*. 2.º Manus junctas tenet ante pectus, et non supra altare, ad majorem reverentiam erga Christum per altare repræsentatum, quod ideo manibus non attingit. 3.º Vocem demittit, id autem fit in missa solemnî ratione cantûs; in privata verò ratione pulsûs campanulæ, quibus vox alta fran-

(1) *Rer. liturg.*, lib. 2. cap. 10, n. 2.

geretur, hæcque vocis immutatio aliundè attentionem, tum in sacerdote, tum in populo, renovare nata est. 4.^o Ad *benedictus* se erigit, ut magis decenter et commodè se signet; se signat autem sub his verbis, quia absolvit gratiarum actionem seu præfationem, et missæ actionem orsurus est. Insuper id agit, ut cruce munitus, et virtute illius liber ab omni incursu dæmonis, quietè et devotè vacet mysterio consecrationis. 5.^o Ad *Sanctus* pulsatur campanula, *ut sic*, inquit *Guilielmus Parisiensis, mentes fidelium ad orationem excitentur*. Olim pulsabatur tantùm ad elevationem Specierum, sed consuetudine, cujus origo nescitur, introductus est ritus pulsandi nolum ad *Sanctus*, qui postea præscriptus fuit in missali Romano (1), et non sine justa ratione, nam cùm multi ex adstantibus præ multitudine sacerdotem nec videre, nec audire queant, utiliter aliquo signo concutiuntur, ut ipsis innotescat pars principalior, infra quam actio sacrificii peragitur.

IX. In hac oratione ter Deum sanctum prædicamus juxta *S. Ambrosium* (2) in professionem Trinitatis personarum, eamque concludimus in singulari *Dominus Deus Sabaoth* ad exprimendam naturæ unitatem. *Sabaoth* vox est Hebraïca, quæ in Vulgata redditur *exercituum*, sub quibus comprehenduntur, non modò exercitus cœlestes, qui conflantur ex omnibus Angelorum ordinibus, sed et terrestres, qui ex hominibus congregantur, et quibus Deus, ut Dominus imperat. Quidam

(1) Rub. gen. d. 7, n. 6.

(2) Lib. 2. de Spir. S., cap. 18.

hic exercituum nomine intelligunt astra, quæ in cœlis moventur instar exercitûs numerosi, sed prior sensus videtur præferendus. Sequitur, *pleni sunt cœli et terra gloriâ tuâ*; quatenus creaturæ omnes, quæ in ambitu cœli et terræ moventur, enarrant gloriam Dei; undè scriptum est: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum*, operibus nimirum suis et creaturis, *et hoc quod continet omnia* seu hic orbis, qui omnia Dei opera comprehendit, *scientiam habet vocis*, quâ Dei omnipotentiam, magnificentiam, et consequenter ipsius gloriam prædicat. Additur *hosanna in excelsis*. *Hosanna*, seu potius *Hosianna* vox est Hebræica, quæ à *S. Hieronymo* latinè redditur: *salva nos qui habitas in excelsis*; sed veriùs est simplex acclamatio, quasi diceretur, *salus illi qui in excelsis cœlis habitat* (1); estque deprompta ex ore Hebræorum, quando sex diebus ante passionem Christi, et Jerusalem ingredienti occurrerunt cum psalmis dicentes: *hosanna Filio David. Benedictus qui venit in nomine Domini*. Hæc verba ad Christum diriguntur, qui in nomine, seu dispositione et auctoritate Patris venit in mundum, ut eum redimeret, quique quotidie descendit in altare ut sui incruentâ immolatione opus hujus redemptionis compleat.

X. Ritus dicendi sub missa sacrum Trisagion tribuitur *S. Sixto I*, qui in cathedra Romano sedit ab anno 119 ad 128. Sic hujus institutio legitur in ejus vita: *hic constituit, ut intra actionem sacerdotis, incipiens populus hymnum decantaret Sanctus*, etc. Ab hoc autem tempore laus

(1) *Jansenius*, in cap. 21. *Matth.*

præsens invenitur in omnibus liturgiis, tum Græcis, tum Latinis. Porrò hæc glorificatio divinæ Majestatis, ex *Isaïa* (1) et *S. Joanne* (2) desumpta est.

Ad terminandum hunc articulum, ex *Georgi* et aliis auctoribus, dicemus sacro Trisagio verba festis particularibus propria fuisse olim inserta. Hujus unum referemus exemplar de B. M. V. *Sanctus, quàm pulchra est casta et inviolata Maria, Sanctus, adest præclara, inquam, dies in qua mundo migravit: Sanctus, quem maris stella fulgentem genuit, virgo Maria. Dominus Deus sabaoth. Pleni sunt, etc.* Qui plura desiderat, adire potest citatum auctorem (3). Interim à longo tempore hæc additiones proscriptæ sunt, et meritò; cùm enim fierent devotione et studio particularium, prudenter erat timendum ne insulsa sacris miscerentur.

ARTICULUS XXI.

De canone.

I. CANON VOX est Græca, quæ propriè sumpta significat arundinem rectam, quâ sæpè tanquam regulâ ad metiendum utuntur artifices; in materia autem liturgica importat regulam seu ordinem invariabilem in confectione sacrorum mysteriorum. Porrò hic ordo continet omnia quæ fiunt et leguntur à verbis *te igitur* usque ad ora-

(1) Cap. 6.

(2) Apocalyp., cap. 4, v. 8.

(3) *Georgi*, Tom. 3, pag. 525.

tionem dominicam exclusivè. Hæc pars sacrificii missæ variis aliis nominibus exprimitur ab auctoribus. *S. Gregorius* simpliciter eam *precem* appellat ; *S. verò Cyprianus orationem* ; *Vigilius textum canonicæ Precis. Walafridus* cum multis aliis vocat *actionem*, eò quòd in ea conficiantur sacramenta dominica ; hocque ultimo vocabulo utitur missale Romanum, dum indigitans orationem *communicantes*, dicit *infra actionem*.

II. Ætas canonis missæ sat obscura et incerta videtur, interim certò exstitit ante sæculum IV ; siquidem de eo meminerit *S. Ambrosius* (1) et expressè referat orationem *quam oblationem*, etc., *qui pridie*, etc., *supra quæ propitio*, etc. Idem insuper probat memoria apostolorum et martyrum quæ fit in canone, exclusis confessoribus, quorum festa tantùm instituta fuerunt post sæculum IV. Nam si, institutis jam eorum festis, canon fuisset compositus, procul dubio quidam ex illis illustriores locum in eo occupassent.

III. Auctores canonis etiam incerti sunt. In quodam codice sæculi XII (2), *Te igitur Clementi* Papæ tribuitur ; *communicantes Siricio* ; *qui pridie Alexandro*. Alius verò auctor (3) in libello de sacramentis auctorem canonis facit *Clementem*. Deindè quibusdam interjectis, addit *Alexandrum* instituisse orationem *qui pridie*, etc., usque ad *supra quæ propitio*. Post aliqua ibidem, sequitur *Felicem* instituisse ut nomina martyrum, uti et apostolorum in canone recitarentur, insuper et

(1) Lib. 4 de sacram. cap. 5 et 6.

(2) Cod. reg. Svec. 75. pag. 56, V. in fine.

(3) *Bonizo* Sutrinus episcopus antiquit. Ital. medii ævi tom. 3, pag. 602.

orationem nobis quoque peccatoribus usque ad per quem hæc, etc. Verùm è quo fonte hæc omnia traxerit, ignoratur. *S. Gregorius Magnus* auctorem facit quemdam Scholasticum; sed cùm non citet tempus nec patriam ubi vixit, nonnulli autumant *Scholasticus* non esse nomen proprium alicujus personæ, sed characteristicum, quo præcisè significavit canonem fuisse compositum à viro quodam erudito; *Scholasticus* quippe apud auctores antiquos sonat virum scientiâ et doctrinâ inclytum; sicque nihil positivi ab hac auctoritate deduci potest. Tridentinum autem loquens de creatione canonis docet constare ex ipsis Domini verbis, ex apostolorum traditione, ac summorum Pontificum Institutionibus; indèque constat quædam esse deprompta ex ore ipsius Christi, nempe verba utriusque consecrationis; 2.^o quædam fuisse addita verbis consecratoriis tempore apostolorum, ut actio illa solemnior redderetur; ast quæ illa sint, nescitur; 3.^o quosdam Pontifices nonnulla canoni addidisse, circa quod historia ecclesiastica refert *S. Leonem* hæc verba canoni addidisse: *Sanctum sacrificium, immaculatam hostiam*; *S. Gregorium*: *diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari*. Ab illo autem tempore, id est à initio VII sæculi, pars sacrificii, quæ canon dicitur, suam firmitatem et perfectionem accepit.

IV. Canon à suâ institutione voce secretâ semper fuit recitatus; hujus enim secreti initium nullibi invenitur, adeoque indicium est semper extitisse. Equidem *Justinianus* imperator anno 541

Novellam (1) promulgavit, quâ episcopis et presbyteris præcipiebatur, ut altâ voce oblationem sacram agerent. Verùm tantùm abest ut lex præfata supradictis obsit, quin potiùs indè confirmari possint; nam si canon lectus fuisset altâ voce, certò ad hoc non fuisset opus novâ lege. Quoad ipsam legem, nunquam sortita est suum effectum; siquidem in nullo antiquo sacramentario fuerit inscripta, et non mirum, quia veniebat à manu extranea et auctoritate incompetente: undè dicendum videtur, præfatæ Novellæ, vivente imperatore, quosdam tantùm throno propiùs adstantes, vel ex timore humano, vel ex prudentia ad evitandum majora incommoda, paruisse, eamque cum eodem legislatore totaliter periisse.

Contra legem secretæ vocis, quâ canon missæ legitur, novissimè insurrexerunt Calvinistæ et Lutherani, qui catholicam arguunt Ecclesiam, quasi secretè celebrando nutriret populi ignorantiam, et ipsi celaret mysterium quod Christus in ipsius gratiam instituit. Ast pura est calumnia, quæ per se in favillam reducitur. Ecclesia quippe submissè sacra faciens mysteria vocis altæ defectum supplet injungendo animarum pastoribus, ut in catechismis, instructionibus, et concionibus perfectam populo christiano tradant hujus mysterii notitiam. Non igitur adeo pravâ intentione Ecclesia canonem et alias missæ preces secretò recitat, sed ad majorem reverentiam, devotionem et attentionem erga tantum mysterium; tum etiam ad impediendum quominus

(1) Novellâ 137, aliàs 123, cap. 6.

verba canonis, et maximè consecrationis vilescant in ore laïcorum, et in eorum conversationibus profanentur: hinc præfatam calumniam Trident. (1) sequentibus verbis profligat: *si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse... Anathema sit.*

Eundem errorem circa initium sæculi XVIII suscitavit *Franciscus Ledieu*, canonicus Meldensis; fatebatur equidem canonem esse legendum submissâ voce, prout decretum erat à Trident. sed per vocem submissam intelligi prætendebat vocem cantui oppositam: undè in novo missali, cujus impressioni præerat, orationibus canonis et post utramque consecrationem verbum *amen* à ministro respondendum apposuerat, satis indè insinuans canonem voce intelligibili esse legendum. Res suâ novitate strepitum cum fecisset, episcopus Meldensis 22 Januarii 1710, missale proscripsit, ac illius lectionem sub poena suspensionis prohibuit; et reverà hoc novum systema, non tantùm usui Romano, sed ritibus omnium Ecclesiarum et ordinum adversabatur: in missali quippe Romano *S. Pii V*, sic legitur (2): *quæ verò secretè legenda sunt, ita pronuntiet, scilicet celebrans, ut ipse se audiat, et à circumstantibus non audiatur.* Ubi evidenter per vocem secretam seu submissam intelligitur vox, non quæ cantui, sed sono sensibili opponitur. Idem verbis æquivalentibus habent missalia particularia omnium locorum et ordinum.

(1) Sess. 22, de sacrif. miss., Can. 9.

(2) Rub. p. 2, tit. 16, n. 2.

Iisdem armis ac suprâ , hæretici jam citati condemnant linguam quâ sacrificium et officia divina celebrantur : aiunt quippe usu linguæ populo ignotæ , in divinis officiis spiritum devotionis et attentionis , necnon instructiones pretiosas subtrahi fidelibus. Sed hæc accusatio primo aspectu plausibilis , citò evanescit , quando reflectitur rem esse impossibilem , et aliundè gravibus expositam inconvenientibus ; si enim divina officia in vulgari lingua forent persolvenda , quælibet regio , provincia , imò urbes et sæpè pagi exigèrent liturgiam peculiarem , et sic innumeræ requirerentur versiones et impressiones missalium et breviorum. Adde linguas vulgares continuis esse obnoxias alterationibus , ob quas libri divinorum officiorum forent sæpè emendandi , idque non sine periculo dissonantiæ , et variorum errorum in fide et moribus. Quibus omnibus debitè attentis , liquet Ecclesiam sapienter et discretè linguas matrices , quæ stant in æternum integræ et immutabiles , elegisse ad celebrationem divini officii ; porrò in Ecclesia Occidentali celebratur linguâ latinâ ; in Orientali verò Græcâ , sed quæ suâ puritate non minùs ignota est vulgo quàm Latina in his partibus. Pro conclusione hujus articuli subjicimus decretum Trid. hac super re (1). *Si quis dixerit... linguâ tantùm vulgari missam celebrari debere... Anathema sit.*

(1) Sess. 22 , de sacrif. miss. , Can. 9.

ARTICULUS XXII.

De prima oratione canonis, Te igitur.

I. CELEBRANS canonem inchoaturus, præviè manus extendit, easque extollit usque ad humeros, ac simul oculos elevat ad crucem. Hos gestus dictat status instanter supplicantis, et quem mox celebrans est assumpturus incipiendo *te igitur*, etc., iisque quærit à Deo exaudiri et adjuvari infra actionem. Mox autem demissis oculis ac manibus, se profundè inclinât, manusque junctas in altare deponit. Hæc corporis humiliatio fit occasione verbi *supplices*, ut nempe factum verbo concordet. Profundè inclinatus, et non antè, secretè incipit dicens: *te igitur*, etc., dum profert *petimus*, manus extendit, easque deponit hinc et indè super mensam altaris extra corporale; idque ut commodiùs corpus incurvet ad osculum, seque postea erigat; sed hæc ratio naturalis non impedit quominùs hæc manuum depositio spiritualiter consideretur ut Christi Domini amplexus. Depositis manibus, altare in silentio osculatur, et hoc osculum est actus amantis et blandientis Christo per altare repræsentato, ad captivandam ejus benevolentiam, et ad obtinendam largam ejus in oblata benedictionem.

II. Post altaris osculum, se erigit sacerdos dicens: *utì accepta habeas*; addens autem *et benedicas*, manus jungit coram Deo, ut hoc actu supplici innuat non sibi, sed Deo competere jus impertiendi benedictionem, seque ab eo illam quærere. Tum depositâ in altare sinistrâ, ter

(1) signat oblata dicens: *hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc sancta ✠ sacrificia illibata*. Has cruces trahit verbum *benedicas*; cùm enim crux fuerit instrumentum passionis Christi, indè est fons et causa omnis benedictionis, quare ad id significandum apprimè crux formatur super re benedicenda; habet etiam crux piè formata suam vocem, quâ petit ut merita Christi in rem signatam descendant; porrò hìc crux ter repetitur, quia ter, saltem quoad sensum, habetur verbum *benedicas*; nam subintelligitur *benedicas hæc munera, benedicas hæc sancta sacrificia*. Aliam adjungit recens auctor (2) hujus trinæ crucis rationem, scilicet, quòd olim, dum hostiæ erant consecrandæ, pars poneretur ad dexteram hostiæ sacrificii, et altera ad sinistram, quod adhuc præscribitur in ordinario Carthusianorum; porrò tunc celebrans semel signabat in medio, semel à dexteris, et semel à sinistris. Indèque ortus est, juxta ipsum, usus ter hic signandi, quamvis una tantùm supponatur hostia.

Hic generaliter dici potest in gratiam eorum qui in cæremoniis Ecclesiæ quærunt sensus mysticos, quòd crux semel formata unitatem essentiae divinæ significet; quando duplicatur, duas in Christo naturas, divinam scilicet et humanam; quando ter, Trinitatem personarum; quando autem quinquies, quinque vulnera Christi.

(1) In sacramentario Gallicano una tantùm crux præscribatur; in Gelasiano quinque notantur, ut sequitur, et ✠ *benedicas hæc ✠ dona, hæc ✠ munera, hæc ✠ sancta sacrificia ✠ illibata*.

(2) *Devert*, explic. rub. miss. tom. 3. pag. 1, cap. 6. rub. 122.

III. Incipit hæc prima canonis oratio his verbis :
*Te igitur , clementissime Pater , per Jesum Christum
 Filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus
 ac petimus , uti accepta habeas , et benedicas hæc
 dona , hæc munera , hæc sancta sacrificia illibata.*

1.^o Canon incipit per litteram T , non casu fortuito , ut notat *Innoc. III* (1) , sed ex industria , quia nempè hæc littera præ se fert imaginem crucis ; ponitur ergò in principio actionis , ut sacerdos incipiens canonem , sub oculis habeat mysterium crucis , indè transeat in ipsius mentem et impressum maneat infra totam missæ actionem , quæ est viva illius mysterii repræsentatio. 2.^o Legitur particula *igitur* , quæ respicit præfationem , quasi diceretur : sicut Angeli laudant et Deum adorant per Christum , ita et nos ad eorum normam per eundem mediatorem Deo Patri supplicamus : *Te igitur clementissime Pater , per Jesum Christum , etc. , supplices rogamus ac petimus , ut accepta habeas , scilicet ex parte nostri et adstantium , hæc dona , hæc munera , hæc sancta sacrificia illibata.* Hæc dona , hæc munera designant corpus et sanguinem Christi , quæ anticipativè censentur adesse , ob eorum instantem consecrationem. Porrò non sunt mera synonyma ; donum enim est aliquid datum inferiori à superiore ; munus verò datur superiori ab inferiore , et sacrificium est tributum creaturæ erga Dei magnitudinem : hæc autem tria conveniunt victimæ , quæ in missa immolatur , nam in primis est donum , quia Deus dedit Filium mundo , ut ipsius morte redimeretur , datque

(1) Lib. 3 de myst. miss. , cap. 2.

nobis corpus et sanguinem ipsius in cibum et potum. Deindè est munus, quia nos servi sub actione missæ Christum Deo dominatori nostro offerimus. Tandem est sacrificium illibatum, de quo apud Malachiam (1): *Ab ortu enim solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur, et offertur nomini meo oblatio munda.* De hoc etiam Tridentin. (2): *Si quis dixerit in missa non offerri verum et propriè dictum sacrificium... Anathema sit.*

IV. *In primis quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica, quam pacificare, custodire, adunare et regere digneris toto orbe terrarum: unà cum famulo tuo Papa nostro N..., et antistite nostro N... et omnibus orthodoxis, atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus* (3). Juxta rectum charitatis ordinem in primis petitur bonum commune totius corporis, scilicet Ecclesiæ, eique sequentia à Deo desiderantur: 1.º *Ut eam dignetur pacificare*, id est, facere ut omnia illius membra sint unius moris, cordis et voluntatis. 2.º *Custodire*, ne portæ inferi adversùs eam prævaleant, seu ut stet firma et immobilis contra insidias et conatus hæreticorum, schismaticorum, ac aliorum hostium, tam visibilium, quàm invisibilium. 3.º *Adunare*, hoc sensu, ut nullum Ecclesiæ membrum à fide deficiat, sicque ut etiam membra separata ad ovile Christi redeant. 4.º Tandem, ut eam *regere* dignetur; dignos Ecclesiæ ministros indulgendo, ipsorumque zelum

(1) Cap. 1. v. 11.

(2) Sess. 22, Can. 1.

(3) Hæc verba *et omnibus* etc., non habentur in codice Galasiano, sed leguntur in sacramentario Gallicano sæculi VII.

et operationes accendendo, ut dignè suo ministerio fungantur, sicque populum christianum, divinà influente gratiâ, bonis moribus imbuant.

Deindè conformiter ad doctrinam Apostoli (1): *memento præpositorum vestrorum*, oratio funditur pro personis in Ecclesia magis insignibus, nimirum pro Pontifice, qui est caput visibile totius Ecclesiæ, et pro episcopo diœcesis in qua celebratur. In Hispaniis additur: *et pro rege nostro N...*, idque, ut communiter fertur, ex concessione S. Pii V. Pariter in Galliis ex inveterata consuetudine, nomen regis eodem modo hic exprimitur, et Venetiis nomen ducis (2). Extra hos casus, nefas est (3) absque indulto Pontificio exprimere nomen alicujus, sive regis, sive principis, sive generalis alicujus ordinis, aut alterius, ne scilicet ex indiscreta devotione particularium aliquid minùs dignum tanto sacrificio misceatur.

Tandem hæc oratio extenditur ad omnia membra Ecclesiæ, *pro omnibus orthodoxis*, id est, pro iis qui veram fidem in corde retinent: undè excluduntur à sinu hujus orationis hæretici occulti, nam licèt probabiliùs pertineant ad corpus Ecclesiæ, cujus membra visibiliter se exhibent, attamen minimè orthodoxi dici possunt, cum fidem abjecerint; sunt igitur membra Ecclesiæ, sed membra mortua, quæ rectè comparari possunt ramo arboris arido, qui quamdiu ei insidet ad substantiam illius pertinet, sed qui

(1) Hebr. 13, v. 7.

(2) Polac., ss. 17, n. 4.

(3) Diana minimè de rigiditate suspectus, Tract. 14, de cel. miss., resol. 40, hoc peccatum mortale dicit.

à trunco nullum ampliùs influxum percipit. Ad-
ditur: *atque catholicæ et apostolicæ fidei cultoribus*,
id est, iis qui verbo vel scripto Ecclesiam tuen-
tur, et ad eam infideles et hæreticos adducere
conantur.

ARTICULUS XXIII.

De secunda oratione canonis, memento.

I. SACERDOS dicens *memento*, incipit manus ele-
vare, et ita cautè ut ante faciem jungantur,
dum profert *tuarum*; manibus junctis ac incli-
nato capite, aliquantulùm orat in silentio. Hi
omnes gestus et situs annuntiant hominem ad
Deum clamantem, et coram eo se humiliantem,
ut in oratione sua exaudiatur. Porrò sub hac
oratione supplicat pro se, pro iis quibus fru-
ctum missæ applicuit, si sint vivi, pro consan-
guineis, benefactoribus, amicis et aliis pro li-
bitu. Cùmque hæc oratio sit privata, etiam orare
potest pro infidelibus, hæreticis, schismaticis et
excommunicatis ad eorum conversionem. Hæc
oratio fieri potest secretâ voce, aut mentaliter
tantùm; et ne illius protractione fastidium ad-
stantibus procreetur, convenit ut sacerdos ante
missam sibi proponat eos pro quibus memoriam
hic agere intendit; quo supposito, satis erit ge-
nerali contextu eos sub *memento* revocare: hanc
praxim approbat rubrica missalis. Finitâ oratione,
resumit statum pristinum, id est, manibus ex-
tensis prosequitur *et omnium circumstantium*, etc.

II. Hæc oratio pro vivis, uti et alia quæ post
consecrationem pro mortuis funditur, iis prod-

est ex opere operantis seu celebrantis, qui ut minister publicus Christi et Ecclesiæ efficacius exauditur pro se et aliis sub actuali celebratione, quàm in aliis circumstantiis. Dicitur etiam potest commendatos sub *memento* ex opere operato majorem fructum percipere è portione generalissima sacrificii, quæ inter omnes fideles dividitur. Interim quidquid sit de modo, quo prodest hæc oratio, certum interim est specialiter commendatis prodesse, prout colligi debet ex communi fidelium apprehensione, qui magni faciunt talem sui memoriam in *memento* sacerdotis obtinere; quique chartas suorum mortuarias singulari studio ad omnes Ecclesias deferunt, ut hujus orationes gratiam illis procurent.

III. Hæc oratio pro vivis incipit his verbis: *memento, Domine, famulorum famularumque tuarum*, ubi famuli et famulæ cadunt in eos quos celebrans in silentio recenset. Olim, juxta *Martene* (1), nomina eorum qui sub *memento* commendabantur, in missa privata à sacerdote clarâ voce exprimebantur; in solemni verò à diacono vel subdiacono. Hicque usus, juxta *Micrologum* (2) usque ad sæculum XI viguit, sic ut sæculo XII fuerit totaliter extinctus; idque eò quòd nonnulli fideles dona animo vanitatis offerrent, nempe, ut eorum nomina in sacris cœtibus publicè proferrentur (3); ad quod tollendum Ecclesia præscripsit ut deinceps hæc memoria secretò fieret: porrò olim fiebat ope Diptycho-

(1) Lib. 1, cap. 4, art. 8, n. 14.

(2) Cap. 15.

(3) De hoc abusu quærebatur *S. Hieron.*, Comment. in *Jerem.*, c. 11. §. 15.

rum; undè in antiquis missalibus præsens oratio inscribitur *oratio super Diptycha*. Diptycha autem erant tabula bis plicata, sic ut lectori tres columnas exhiberet. In una ex illis nomina SS. martyrum inscribebantur, et per hoc ad fasta Sanctorum elevati censebantur; indèque est, ut hodiedùm annumeratio alicujus inter Sanctos *Canonizatio* dicatur, scilicet, à canone missæ, in quo, dum inserti erant martyres, ut sancti fidelium cultui proponebantur. In altera erat catalogus quorundam viventium, nempe Pontificis, episcopi, principis, etc., eorumque qui ad actionem sacrificii oblationibus concurrebant. In tertia tandem nomina defunctorum in sancta Ecclesiæ communionem exstabant. Horum in canone nostro vestigium superest, nam in *memento* vivorum, litteræ N. et N. substitutæ sunt nominibus vivorum, quæ olim è Diptycho clarâ voce legentur et quæ nunc secretâ, vel solâ mente referuntur. *Communicantes* et oratio *nobis quoque peccatoribus*, exhibent nobis imaginem Diptychi Sanctorum, et *memento* pro mortuis supplet vices alterius tabulæ, in qua exstabant nomina defunctorum; in eoque duæ litteræ N. et N. inveniuntur præcisè in testimonium antiquitatis; sunt enim nunc inutiles cùm negligantur, et solùm oratio pro mortuis fiat post hæc verba, *in somno pacis*: undè etiam in nonnullis missalibus Gallicanis deletæ inveniuntur, sed de hoc latius suo loco.

IV. Sequitur *et omnium circumstantium*. Justum quippe est ut non prætermittantur ii, qui adsunt sacrificio; sed ut partem habeant in hac oratione, necesse est ut missæ intersint cum fide

firma, et vero pietatis affectu; nam additur: *quorum tibi fides cognita est et nota devotio*: undè non agitur de iis qui immodestè, irreverenter, aut absque ullo religionis sensu; id est, qui corpore tantùm, et non spiritu missam audiunt.

V. *Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis*. Particula *vel*, testibus Pouget (1) et Lebrun (2), in missalibus PP. Recollectorum S. Francisci exarata cernitur colore rubro. Ego quoque in quibusdam missalibus eandem particulam *vel* vidi rubricatam; undè sequi videtur quòd celebrans, dicens *pro quibus tibi offerimus*, omittere debeat *qui tibi offerunt* etc.; è contrà, si hæc ultima verba ponere intendat, prima reticere teneatur, sed nequaquam res ita se habere potest; nam demptis ex hac oratione his verbis: *qui tibi offerunt*, reliquum foret omittendum; nam *pro se suisque* et cætera sunt ita relativa ad hæc *qui tibi offerunt*, et ita cum illis connexa, ut illis omissis nullum ampliùs sensum præ se ferant: cùm autem missale nil determinatè præscribat, prout in similibus facere solet, circa hanc unionem et omissionem, hinc tutò dicimus, idque conformiter ad usum generalem omnium Ecclesiarum, *vel* in quibusdam missalibus ex errore emendando legi rubricatum.

Alia insuper movetur difficultas circa eandem particulam *vel*, an sumi debeat disjunctivè, aut copulativè? Ast indubitanter sumi debet copulativè pro *et*, uti interdum ponitur in antiquis au-

(1) Catechismi Montispessulani, pag. 5, sect. 2, de can. miss.

(2) Explic. cær. miss., pag. 4, art. 5.

toribus : Ecclesia quippe intendit in hac oratione tam circumstantes quàm offerentes comprehendere, prout ex institutione horum verborum *pro quibus tibi offerimus*, patebit. Primis Ecclesiæ sæculis, quando fideles sacrificio adstantes panem et vinum in confectionem sacrificii offerebant, solùm legebatur : *qui tibi offerunt*, ususque hic viguit usque ad sæculum X, uti evincitur è missalibus sæculum illud præcedentibus. Citat tamen *Georgi* (1) sacramentarium Silvanectense anni circiter 880, in quo hæc verba habentur : *pro quibus tibi offerimus*, sed erat quid proprium illi liturgiæ, è qua transierunt in Romanam et alias, memorato solùm tempore : porrò, ut causa inductionis horum verborum in canonem attingatur, sciendum est quòd ritus offerendi panem et vinum in confectionem sacramenti non simul et semel cessaverit, sed paulatim, aliis hunc ritum servantibus, aliis verò illum prætereuntibus; ut autem hi partem in hac oratione canonis haberent, additum est : *pro quibus tibi offerimus*. Undè liquet particulam *vel* copulativè esse sumendam.

VI. Sequitur *hoc sacrificium laudis*; est quippe hoc mysterium latreuticum et eucharisticum, proindèque medium opportunum ad laudandum, Deum quà in se magnum, et erga nos beneficum, et consequenter meritò dici potest *sacrificium laudis*. *Pro se*, *suisque omnibus* scilicet consanguineis, amicis et aliis. *Pro redemptione animarum suarum*, seu pro deletione omnis culpæ et pœnæ, per quam, si sit plena, peccatores redimuntur de

(1) Tom. 3, lib. 4, cap. 3, n. 26.

pœnis inferni et purgatorii. *Pro spe salutis*, scilicet æternæ, cujus germen efficax est sacrificium missæ quâ impetratorium, *et incolumitatis suæ* corporalis. Nec mirum videri debet, quòd petatur sanitas corporis; est enim bonum valdè homini christiano pretiosum; quatenùs eo donatus majori cum animo Deo servire, et vices sui status replere valet. Aliundè morbi et infirmitates non rarò sunt occasiones tentationum et peccatorum, à quibus consequenter fructuosè liberamur. Tandem oratio concluditur, *tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero*. Ecclesia considerans omnes commendatos sub *memento* à sacerdote, adstantes sacrificio, et eos qui stipendio vel intentione ad illud concurrunt tamquam fide et pietate plenos, eorum devotam dispositionem sub oculis divinæ Majestatis exponit, ut super eos divinam misericordiam commoveat; ait enim: *tibique reddunt vota sua*, id est, pia desideria, adorationes et gratiarum actiones *æterno Deo vivo et vero*. Hæc ultima verba ponuntur contra deos gentium; hi quippe non sunt æterni, sed inventionis humanæ; nec etiam sunt vivi et veri, juxta illud Ps. 115: *Simulacra gentium argentum et aurum, opera manuum hominum, os habent et non loquentur*, etc.

ARTICULUS XXIV.

De tertia oratione canonis, communicantes.

I. CELEBRANS hanc orationem pergît recitare manibus extensis et ad humeros usque elevatis, ut non tantùm ore, sed et gestu Dei gratiam im-

ploret, vel juxta alios, ut manuum elevatione desiderium perveniendi ad Sanctorum beatitudinem, de quibus in hac oratione, exprimat. Ob eandem rationem, olim, id est ante ducentos vel trecentos annos, sacerdos sub verbo *communicantes* manus et oculos ad cœlum tollebat, uti patet ex missalibus impressis Parisiis ante annum 1615, et deindè inclinationem vel genuflexionem in honorem Sanctorum exhibebat. Ast cùm verbum *communicantes* per se tales actus non exigeret, et aliundè hi ritus cursum hujus orationis impedirent, Ecclesia eos sustulit contenta solâ capitis inclinatione ad nomen *Jesu et Mariæ*, nec non ad nomen Sancti cujus missa celebratur, vel fit specialis commemoratio; cùm enim celebrans specialiter vacet illius cultui, congruum est ut ad prolationem nominis illius reverentiam exhibeat. Dicendo *per eundem Christum Dominum nostrum*, jungit manus, tum ut hoc actu humiliationis, dum interponit Christi mediationem, efficacius exaudiatur, tum ut se disponat ad manus expandendas super oblata.

II. Verbum *communicantes* in hac oratione idem sonat ac intrantes in communionem, nempe cum fidelibus viventibus, et Sanctis in cœlo residentibus (1). Porrò *communicantus*, juxta aliquos,

(1) *Amalarius* et *Florus* verbum *communicantes* explicant de sola communionem Sanctorum, eò quòd copulativè sequatur *et memoriam venerantes*: sed advertit *Micrologus*, et alii multi in præcipuis anni solemnitatibus hoc verbum separari à posterioribus, et dici *communicantes et diem sacratissimum celebrantes*, et tunc, ut attendenti patet, venit naturaliter intelligendum de communionem fidelium; sed interim cùm nihil obsit, quominus sumatur *communicantes* in tota sua latitudine, ideò communi sententia, ut utramque importans communionem accipimus.

refertur ad initium canonis: *te igitur*, etc., sic ut consideretur tamquam pars primæ hujus orationis. Ast cum mediet *memento*, videtur oratio distincta et diversa, præsertim cum ad formandum sensum verbi *communicantes*, non sit opus recurrere ad primam orationem; habet quippe oratio *communicantes* undè se solâ sensum independentem faciat; nam referendo ly *communicantes* ad verbum in fine *mereamur*, sensum exhibet absolutum et perfectum. Ut autem Ecclesia non solo verbo, sed et re intret in communionem cum Sanctis, additur: *et memoriam venerantes*. Quocirca sciendum, quòd hic in terris à Sanctorum consortio longè separati, cum eis communicare non valeamus, nisi eis supplicando, vel laudes eorum cantando, seu memoriam venerando; in hac ergo oratione Sanctorum nomina recensentes, et eorum benevolentiam ac intercessionem implorantes conversamur cum illis, et in communionem cum illis intramus.

III. *In primis gloriosæ semper Virginis Mariæ Genitricis Dei, et Domini nostri Jesu Christi*. Primo loco rectè memoria agitur illius quæ maximâ in cœlis sanctitate et auctoritate fulget, quæque de sua substantia victimam sacrificii nostri edidit: undè dicitur *Genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi*. Dei in primis, quia Christum Deum genuit, ast eò quòd Deum purum non genuerit: sed et hominem Divinitati hypostaticè unitum, additur: *et Domini nostri Jesu Christi*. Hinc cautè legenda sunt hæc ultima verba; non enim hic veneramur memoriam primò B. M. V. et deindè memoriam Jesu Christi, sed solius Virginis Mariæ, quæ fuit Genitrix Dei simul et Christi;

sicque hæc verba *et Domini nostri Jesu Christi* referenda sunt ad beatam Virginem, quâ ipsius Matrem.

IV. Fit deindè memoria duodecim apostolorum *Petri et Pauli, Andreæ, Jacobi, Joannis, Thomæ, Jacobi, Philippi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis, et Thaddæi*, qui institutioni hujus sacrificii adstiterunt, primi illius participes fuerunt, et promulgatores: undè congruum est ut eorum in canone fiat memoria. *Petro* adjungitur *S. Paulus*, quia, ut cantat Ecclesia, *in vita dilexerunt se, et in morte non sunt separati*; ideoque in officio unius, semper ponitur commemoratio alterius. Aliundè *S. Paulus* dignus est ut hîc locum inveniat, qui, ut ipse ait (1), hujus mysterii institutionem ab ipso Christo accepit, illud scriptis mandavit, ac non minori zelo quàm alii apostoli, promulgavit.

V. Sequitur memoria duodecim martyrum, scilicet, *Lini, Cleti, Clementis, Xysti, Cornelii, Cypriani; Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmæ et Damiani*. Hi omnes Romæ vel in vicinia passi sunt primis Ecclesiæ sæculis; nam recentiores sunt *Joannes et Paulus*, qui in persecutione *Juliani* apostatæ circa medium sæculi IV occubuerunt. Eorum autem fit memoria in canone præ aliis Sanctis, quia imitati sunt Christum in morte sua, ideoque digni habiti sunt locum habere in sacrificio memoriali passionis et mortis ipsius Christi. Aliundè, ut antè insinuavimus, canon fuit formatus, antequam alii sancti fastis Beatorum solemniter adscriberentur. Numerus hic duode-

(1) I. ad Corint., cap. 11.

narius, cùm juxta *S. Augustinum*, sit numerus universitatis, omnem martyrum classem comprehendit. In Ecclesia Græca pariter et Latina, teste *Menardo* (1), olim fuit mos, ut illius Sancti fieret memoria, cujus festum agebatur. Hujusque ritus, qui jam à longo tempore desiit, *Walafridus Strabo* auctorem facit *Greg. III*: instituit, inquit (2), in canone à sacerdote dicendum: *quorum solemnitas hodie in conspectu tuæ Majestatis celebratur, Domine Deus noster, toto in orbe terrarum*. Imò de codice Vaticano, qui videtur sæculi XI (3), post nomina *Cosmæ* et *Damiani* nomina inveniuntur quorundam SS. confessorum; scilicet, *Hilarii*, *Martini*, *Augustini*, *Gregorii*, *Hieronymi*, *Ambrosii*, *Benedicti* et *Isidori*; ast cùm hæc omnia non videantur transiisse in alios libros rituales, credendum est hunc ritum in sola urbe Roma, vel in solo districtu illius Ecclesiæ per aliquod tempus viguisse.

VI. Post memoriam specialem Sanctorum, de quibus suprâ, fit generalis omnium incolarum regni cœlestis et omnium Sanctorum, quorum meritis precibusque concedas ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilio. His verbis exprimitur finis hujus orationis, nempe ut in tentationibus, afflictionibus, aliisque calamitatibus, in hac sacrificii oblatione meritis Sanctorum, ac potentiorum intercessione, Dei protectionem et auxilium sentiamus. Cùm autem Sanctorum suffragia ne tantilli quidem sint momenti, nisi per

(1) Nota 42 in Sacrament. S. Greg.

(2) De rebus eccles., cap. 22.

(3) *Georgi*, tom. 3, lib. 4, cap. 4, n. 3,

merita Christi, ideo concluditur oratio *per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.* In hac conclusione deest verbum *eundem* in antiquis liturgiæ monumentis, et inter alia illud non ferunt sacramentaria Gelasianum et Gallicanum; sed, juxta principium generale, quo omnis oratio, quæ ad Christum non dirigitur, et in qua tamen fit illius mentio, concluditur *per eundem*, rectè verbum *eundem* huic conclusioni fuit appositum, id autem accidit circa sæculum XIII; siquidem hanc conclusionem cum verbo *eundem* referat *Durandus* (1); fuitque inserta sæculo sequenti in ordine Romano XIV. Pariter vox *amen*, quæ nunc secretò à celebrante profertur, in vetustioribus missæ expositionibus non legitur, prout nec in fine aliarum orationum canonis, sed semel tantùm in fine totius dicti canonis ponebatur. Imò post orationem *communicantes*, *amen* necdum habebat sacramentarium Gregorianum sæculi XII; sequenti tamen sæculo fuit adjectum, sed sic, ut in nonnullis locis à populo responderetur: juvat hac super re cardinalem *Hugo*, è familia Dominicanorum, audire. *Terminando*, inquit (2), *communicantes non debet dici amen secundùm quosdam, quia sacro mysterio assistentes respondent amen.* *Durandus* verò auctor ejusdem ætatis, id est, sæculi XIII, sic de illo verbo habet (3): *Secundùm quosdam non debet hìc responderi amen, neque usque ad fractionem hostiæ, quia Angelorum chorus sancto ministerio assistens respondet amen: hoc tamen non ubique servatur: adeoque tunc tem-*

(1) Lib. 4, cap. 58.

(2) In opusculo, cui titulus: Speculum sacerdotum.

(3) Lib. 4, cap. 58, n. 7.

poris in nonnullis locis *amen* adjiciebatur orationi *communicantes*, et non in aliis; interim praxim addendi *amen* post orationes canonis, et quidem secretò à solo celebrante, confirmavit sæculo XIV ordo Romanus XIV.

VII. Cùm nominibus Sanctorum, quæ in canone exprimuntur, debeat inclinatio capitis, dum eorum missa legitur, vel in missa alterius sit eorum memoria specialis, ad tollendum omnem æquivocationem in hujus rubricæ observantia, juvat designare quosdam Sanctos hic nominatos, et qui facilè cum aliis confundi possent. 1.º *Jacobus*, qui primo loco in canone exprimitur, est major, cujus festum agitur 25 Julii; qui verò secundo, est minor, cujus dies celebratur 1 Maii. 2.º *Linus*, de quo hic, sedit in Pontificatu immediatè post *S. Petrum* (1), et colitur 23 Septembris. 3.º *Cletus*, *Lini* successor, festum habet 26 Aprilis. 4.º *Clemens Cleto* successit, et festum illius fit 23 Novembris. 5.º Duo sunt *Xysti*; primus nempe et secundus; hujus, juxta sacramentaria *SS. Gregorii et Gelasii*, fit mentio in canone, ac festum agitur 6 Augusti. 6.º Sequuntur *Cornelius et Cyprianus*; prior fuit Romanus Pontifex, et alter episcopus Carthaginensis; horum dies simul agitur 16 Septembris. 7.º *Laurentius* fuit Romæ archidiaconus, et festum habet 10 Augusti. 8.º *Chrysogonus*, de quo

(1) Tertull. *de præscript.* cap. 52. cujus sententiam communiter secuti sunt Patres saltem usque ad exitum sæc. IV. *Clementem à Petro ordinatum* edit: de quo Burius:

Disceptat mundus, sit quartus, sitne secundus.

Vide ejusdem notitiam Pontificum; vel Sandini vitas Pontificum Romanorum.

hic, Aquileæ passus est, et colitur 24 Novembris. 9.º *Joannes et Paulus*, fratres, passi sunt sub Juliano apostata, et eorum fit memoria 26 Junii. 10.º Tandem ponuntur *Cosmas et Damianus*, quorum festum colitur die 27 Septembris. Aliqui distinguunt tria paria Sanctorum ejusdem nominis *Cosmæ et Damiani*; unum martyrum in Arabia, alterum confessorum in Asia, tertium martyrum qui Romæ martyrium subierunt; putantque hos postremos esse, qui ecclesiam in urbe sibi dicatam habent, quorumque nomina in canone exprimuntur. Addunt autem credibile esse quòd eorum acta exciderint, et per ignorantiam seu negligentiam substituti eis fuerint Arabes, quorum passio illustrior fuit (1). Verùm sententia hæc solidè refutatur à Bollandistis in Actis SS. ad diem 27 Septembris.

ARTICULUS XXV.

De quinta oratione canonis, hanc igitur oblationem, etc.

I. CELEBRANS sub hac oratione manus super oblata expandit, non præcisè, ut tradit *Claudius Devert*, attractus pronomine *hanc*, seu ut sensibilibiter demonstret materiam præsentem sacrificii; sed ratione desumptâ ex veteri Testamento, sub quo sacerdos (2) manus deponebat in victimam

(1) Ita card. *Bona*, rer. liturg. lib. 2, cap. 12, n. 5, et *Petrus Lebrun*, de cær. miss. p. 4, art. 4, §. 5.

(2) Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, derelinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino, et adducet illum ad ostium tabernaculi testi-

sacrificii, tum ut illi quodam modo se sociaret, tum ut illam pro se vel populo substitueret, ac mortem illius in remissionem peccatorum offerret, sic ut impositione manuum in victimam, in eam deportaret iniquitates suas vel alienas. Eâdem ratione idem ritus exercetur in sacrificio novæ legis; sacerdos ergo manibus tegens oblata mox convertenda in corpus et sanguinem Christi, sacræ illius oblationi censetur se sociare, illam pro se et pro populo coram Deo substituit, ac offert ad placandam divinam justitiam, ad obtinendam indulgentiam, et subsidia ad salutem necessaria.

II. *Hanc igitur oblationem servitutis nostræ.* Particula *igitur* respectum ducit ad præcedentem orationem, sic ut sensus reddi debeat: suffulti ergo meritis et precibus Sanctorum hanc oblationem servitutis nostræ, id est, celebrantis et adstantium (hic congruenter Ecclesia utitur expressione humili *servitutis*, quia in oblatione sacrificii recognoscere tenemur supremam Dei dominationem, adeoque nostram vilitatem seu servitutem). *Sed et cunctæ familiæ tuæ*, nimirum, totius Ecclesiæ catholicæ, in cujus nomine quodlibet sacrificium offertur. *Quæsumus, Domine, ut placatus* super iniquitatibus nostris *accipias.* Deinde tria magna à Deo dona petimus: 1.º Bonum pacis divinæ in hoc sæculo: *diesque nostros in tua pace disponas.* 2.º Petimus liberari ab ardoribus sempiternis: *atque ab æterna damnatione nos eripi.* 3.º In æternum salvari: *et in electorum tuorum*

monii coram Domino.... ponetque manus supra caput ejus et immolabit eum Domino. Levit. 4, idem habetur cap. 1, 3 et 16.

jubeas grege numerari. Quæ ut efficacius obtineantur, interponimus Christi mediationem : per Christum Dominum nostrum. Amen.

III. Circa tertiam petitionem moveri potest difficultas, scilicet, quomodò non adversetur negotio prædestinationis, scimus enim ab æterno reprobatum fieri non posse prædestinatum, nec è contrà prædestinatum, reprobum; Deus quippe est immutabilis in suis decretis, juxta illud (1): *In æternum, Domine, verbum tuum permanet in cælo.* Quo igitur bono sensu dici potest: *et in electorum tuorum jubeas grege numerari?* R. Quamvis immutabile sit decretum prædestinationis vel reprobationis alicujus, interim certum est decretum illud non esse executioni mandandum, nisi merita vel demerita præcesserint; scriptum est enim: *non coronabitur, nisi qui legitmè certaverit*, et in alio loco: *ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* Quare in hac oratione præcisè quærimus, ut Deus vitam et mores nobis largiri dignetur, quibus mereamur possessionem gloriæ æternæ adipisci; non autem ut mutet decretum suum super nos: hoc repugnat divinæ immutabilitati; seu clariùs, incerti de nostra electione, certi tamen quòd malè vivendo in æternum peribimus, petimus, removeri à nobis statum incompatibilem cum vita æterna, ac bonos mores quærimus, super quibus spem firmam nostræ prædestinationis erigere possimus; et ita ægrotus de sanitate recuperanda incertus, certus tamen quòd si nullum medicamentum adhibeat, morietur, prudenter

(1) Psal. 118.

medicamenta adhibet, ut spem sanitatis concipiat. Hic hærere debent ratio et fides, ne quis volens ulteriùs judicia Dei inscrutabilia penetrare, vanis et inextricabilibus obvolvatur dubiis et difficultatibus (1). Eodem modo explicanda sunt verba secreta, quæ infra quadragesimam legitur: *Deus cui soli cognitus est numerus electorum in superna felicitate locandus: tribue, quæsumus, ut intercedentibus omnibus Sanctis tuis, universorum, quos in oratione commendatos suscepimus, et omnium fidelium nomina beatæ prædestinationis liber adscripta retineat.*

IV. Antiquitas hujus orationis evincitur ex missa *Illyrici*, in qua legitur, plures tamen, tum in verbis, tum in ritu, variationes passa est; in sacramentariis enim vetustis paulò altera, et interdum prolixior habetur. In multis antiquis missalibus legitur: *servitutes meæ*, et in *Illyrico: humilitatis meæ*. Hæc verba *diesque nostros in tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari*, addita fuerunt à *Gregorio I* (2); idque, juxta *Lopez* (5), occasione pestis et belli Romæ grassantium. *Illyricus* hanc orationem multò tamen à præsentī dissimilem locat ante *communicantes*. In ordine Romano recitanda est manibus elevatis, quod Dominicanī retinuerunt; hæcque praxis in Ecclesia Romana duravit usque ad sæculum XV. In non-

(1) *S. Thomas*, 2. 2. q. 85, art. 1 ad 2, sic solvit hanc difficultatem: *non enim oramus propter hoc, ut divinam dispositionem immutemur, sed ut impetremus, quod Deus disposuit per orationes Sanctorum esse adimplendum.*

(2) *Joannes diaconus*, lib. 2 vitæ Greg. I, n. 17.

(5) De sacrif. miss., lib. 2, cap. 14.

nullis verò Ecclesiis, præsertim Galliæ et Germaniæ, sub illa, ad imitandam Christi humiliationem in mysterio passionis ejus, sacerdos profundè se inclinabat (1), quod hodiedum Carmelitæ observant. Ex his deduces manuum expansionem super oblata à quatuor tantùm sæculis circiter vigere.

ARTICULUS XXVI.

De sexta oratione canonis, quam oblationem, etc.

I. CELEBRANS proferens *quam oblationem*, tu *Deus, in omnibus, quæsumus*, manus junctas ante pectus tenet, tum ratione verbi *quæsumus*, quod exigit statum supplicantis, tum etiam ob signa crucis, quæ sequuntur et quibus ex dictis manuum junctio communiter præmittitur. Dicens: *benedictam, adscriptam, ratam*, tria crucis signa format super oblata. Hæc signa quasi naturaliter sibi vindicant citata verba; cùm enim crux Salvatoris sit causa meritoria omnis humanæ benedictionis, rectè sub verbo *benedictam* producit ad significandum benedictionem illam expectari à mysterio crucis, in qua Christus passus et mortuus est; et cùm verba sequentia, scilicet, *adscriptam, ratam*, eundem ferè sensum habeant, ac verbum præcedens, seu potius, cùm oblatio adscribi et ratihaberi non possit sine iisdem Christi meritis, ideo sub illis renovatur signum crucis. Dicendo *rationabilem, acceptabilemque facere digneris*, celebrans jungit manus,

(1) *Durandus* lib. 4, cap. 39, n. 1.

ut se paret ad novam hostiæ et calicis benedictionem. Equidem ratio, quæ dat cruces verbis antecedentibus, militat etiam ut dentur et his *rationabilem, acceptabilem*; sed observant *Claudius Devert* (1) et ex *Micrologo Petrus Lebrun* (2) Ecclesiam stare tribus crucibus, ut earum numero nobis exhibeat SS. Trinitatis memoriam. Dum autem addit *ut nobis corpus et sanguis*, facit duas cruces, unam super hostiam, et alteram supra calicem ad significandum quòd sermo sit de corpore Christi in cruce fixo, et de sanguine ex illa fuso. Concludens tandem, *fiat dilectissimi Filii tui, Domini nostri Jesu Christi*, eò quòd his verbis Deo supplicet, manuum junctione statum supplicis assumit, sicque humiliter compositus sub venerando nomine *Jesu*, ad cujus prolationem genua coelestium, terrestrium, et infernorum curvantur, crucem adorat capitis inclinatione.

II. In capite hujus orationis legitur: *quam oblationem*, sub qua non intelligitur ea quæ fit panis et vini, sed corporis et sanguinis Christi, mox consecratione in altari adfuturorum. Imò et sub illa venit oblatio totius Ecclesiæ, ac præsertim celebrantis, et adstantium sacrificio, qui Christo associati, per eum et cum eo tributum magnitudini divinæ præsentant. Hoc posito, sequitur sensus hujus orationis: *quam oblationem*, sensu ut suprâ acceptam, *tu Deus, in omnibus*, quæ spectant ad nostram salutem, *quæsumus, benedictam*, seu fontem largæ benedictionis respectu nostri: *adscriptam*, seu per quam in

(1) Tom. 3, p. 1, cap. 6, rub. 129.

(2) Explic. litt. cær. miss., p. 4, art. 6, §. 2, n. 1.

cœlis conscribamur : *ratam*, id est, firmam et stabilem, sic ut vi illius à Deo deinceps non separemur, sed ei in finem adhæreamus. *Rationabilem*, seu rationi consentaneum, quo sensu dicit Apostolus *rationabile obsequium vestrum* : porrò, juxta *Theophylactum*, (1) tale est, quando nullo pravo affectu, vel nullâ intentione perversâ vitiatur, seu, ut utar verbis ipsius, *quando nullus irrationabilis affectus in nobis dominatur, sed ratio et verbum Dei omnes nostros affectus et motus gubernat. Acceptabilemque*, seu tibi placentem facere digneris.

Ad horum pleniorè intelligentiam sciendum est oblationem ex parte Christi essentialiter esse coram Deo *benedictam*, seu causam et instrumentum nostræ benedictionis; *adscriptam*, seu à Deo approbatam et inter dona cœlestia numeratam; *ratam*, seu confirmatam, sic ut Deus eam rejicere nequeat; *rationabilem*, seu rationi conformem; cùm enim fiat à Christo fonte omnis rationis et sanctitatis, nullo malo fine aut pravo affectu contra dictamen rationis infici potest; tandem *acceptabilem* seu Deo placentem; procedit quippe ab eo de quo dixit Deus : *hic est Filius meus dilectus, in quo benè mihi complacui*. Verùm non semper res ita se habet respectu nostri; sæpè enim oblatio nostra defectu fidei, spei, aut charitatis est defectuosa, et ideo hic petimus, ut, quantum est possibile, assimiletur oblationi Christi, et similiter à Deo acceptetur.

Concluditur tandem hæc oratio : *Ut nobis corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii tui, Domini no-*

(1) Sermone 9, super canon. miss.

stri Jesu Christi, quibus verbis non præcisè petimus, ut panis et vinum convertantur in corpus et sanguinem Christi, sed *ut nobis convertantur*, id est, in nostrî sanctificationem.

III. Hæc oratio, quæ in antiquissimis libris invenitur, variata parùm legitur: in libro Sacramentorum, qui communiter *S. Ambrosio* tribuitur, tantùm habetur *benedictam, rationabilem, acceptabilem*; ita ut desint *adscriptam et ratam*. In missali Francorum legitur: *facere dignare; quæ corpus et sanguis fiat dilectissimi Filii, Domini autem Dei nostri Jesu Christi*; sed in sacramentario Gelasii exstat, uti nunc legitur; absque tamen quinque crucibus. In sacramentario Gallicano prima crux ponitur *ante quam oblationem*, secunda post *benedictam*, tertia post *adscriptam*, et aliæ duæ sub *corpus et sanguis*. In codice reginæ Suevorum duæ tantùm cruces præscribuntur, una *ante benedictam*, et altera post *adscriptam*. In sacramentario Palatino 495 apud *Georgi* (1) quinque cruces reperiuntur sub ritu hodierno. Græci æquivalentem huic habent orationem, sed quam ponunt post consecrationem, ut dicetur sub finem art. seq.

ARTICULUS XXVII.

De consecratione panis.

1. MULTI hîc, antequam actum consecrationis exordiantur, si calix impediât lectionem formæ, illum removent paululùm è medio, in missa privata ad suî sinistram, in cantata verò ad sui

(1) Tom. 5, dissertat. 5, pag. 52, n. 22, et 25.

dexteram; idque ut legere valeant formam consecrationis. Sacerdos igitur, remoto calice si necesse sit, dicens: *qui pridie quàm pateretur*, hinc et indè pollices et indices extergit, non in medio, sed in extremitate corporalis; idque ut à minimis mudentur pulveribus, et ab omni humiditate siccentur, antequam in iis ponatur SS. Christi corpus; indèque colligendum venit, quàm purum os esse debeat, quo verba consecrationis distillantur, quàmque mundum cor, in quod venerandum illud corpus descendere debet. Solos autem pollices et indices extergit, quia iis solis tangit sacra mysteria. Prosequens: *accepit panem in sanctas ac venerabiles manus*, ut factum verbis et exemplo Christi respondeat, accipit hostiam inter pollices et indices utriusque manûs, qui sunt ad hoc specialiter consecrati, quique soli sufficiunt ad decentem sacrarum Specierum apprehensionem, et earumdem tractationem in cursu sacrificii. Addens: *et elevatis oculis in cœlum ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, oculos ad crucem tollit; tum ut ore simul et gestu loquatur, tum etiam ut Christum in ultima cœna imitetur. Dum dicit: *tibi gratias agens*, caput inclinat in signum gratiarum actionis. Sub *benedixit*, crucem format super hostiam, ob rationem datam articulo præcedenti n. I. ad verbum *benedictam*. Tandem tenens hostiam inter pollices et indices, manibus exactè junctis prosequitur: *fregit, deditque Discipulis suis, dicens: accipite et manducate ex hoc omnes*. Interim autem demittit cubitos in altare, ac corpore et capite inclinat, dicit secretò, absque ulla aspiratione, uno tractu, seu absque ulla verborum interruptione:

hoc est enim corpus meum. 1.º Sub consecratione tenet manus junctas præ timore et reverentia, utque firmius teneat hostiam. 2.º Deponit cubitos in altare pro sui majore commoditate, utque verba directius cadant in materiam consecrationis, et pronomen *hoc* magis expressè eam demonstret; cavendum tamen est ne os nimis propè admoveatur ad hostiam, ne halitu inficiatur; adeoque ab illa distare debet medio circiter pede. 3.º Corpus et caput inclinat præ humiliatione, quæ maximè decet sacerdotem illud mysterium agentem. 4.º Secretò profert verba consecrationis ad majorem excitandam in populo Sacramenti venerationem, et ne adstantes, hæc sacra verba audientes et memoriter retinentes, illa profanent in humanis conversationibus.

II. prolatâ formâ, sacerdos se totaliter erigit, ut postea magis decenter flectat; manusque junctas ad oram anteriorem corporalis retrahit pro facilitanda genuflexione, quâ mox adorât Christum ingressum in orbem terrarum. Sub hac genuflexione suscitare debet animum, ut humilitate, fide, spe et charitate hunc actum adorationis exercent, quomodo erga Christum natum in Bethleem eum exercuerunt pastores et Magi. Erectus à genuflexione, et retinens oculos constanter intentos in sacras Species, eas elevat lineâ rectâ intrâ corporale, ac ultra caput. 1.º Hostia elevatur intrâ corporale, ne fragmenta fortè extra illud decidant. Deindè in eam figit continuò oculos, quia continet objectum solâ sacerdotis attentione dignum. Tandem ferri debet ultra verticem capitis, ut videatur à populo, ac ab eodem adoretur; undè non satisfaciunt ru-

bricæ multi qui solùm ferunt sacras Species usque ad faciem vel frontem.

Elevatâ sufficienter Hostiâ, eam manibus junctis reverenter demittit, et prope altare ab ea retrahens manum sinistram solâ dexterâ apertâ pro majori facilitate et decentia eam deponit in medio corporalis. Tum retinens pollices et indices sibi unitos (hoc observat usque ad secundam purificationem, nisi tangendæ sint sacrae Species), manus retrahit ad partem anteriorem corporalis, sic ut pars lateralis earum juxta parvum digitum, et non palma, sedeat in corporali; quod et similiter observatur quotiescumque est flectendum usque ad purificationem. Sic autem constitutus, et præviè corpore erectus, denuò genuflexione Sacramentum adorat. 1.º Tenet pollices et indices unitos, ne particulæ illis digitis adhærentes avolent cum periculo profanationis. Eâdem ratione deponit manus intra corporale, easque tenet erectas, sic ut pars lateralis juxta parvum digitum tangat corporale, ne scilicet applicando palmas contra altare, pollices et indices physicè tangant corporale, præfato periculo alicujus particulæ. Nec hæ præcautiones vanæ et inutiles videbuntur, si attendantur dignitas hujus Sacramenti, et præsentia realis Christi sub minima Specie sensibili.

III. Exponitur sensus hujus orationis, in qua historia institutionis Eucharistiæ narratur. Incipit: *qui pridie quàm pateretur*, id est, lunâ XIV, seu die XIV primi mensis (1) ad vesperam, quæ

(1) Judæi menses numerabant per lunationes, ita ut luna mensem unum constitueret: porrò luna primi mensis erat

anno, quo Christus mortuus est, incidebat in feriam V et in diem XXII Martii (1), et consequenter passus est Christus die veneris incidente in XIII citati mensis: undè, quando Pascha nostrum incidit in XXV Martii, propriis suis diebus mysteria mortis et Resurrectionis Domini recolimus, præsertim dum luna XIV incidit in XXII Martii seu feriam V.

Vigesimâ secundâ igitur Martii, seu feriâ quintâ ad vesperam, post cœnam typicam, expletis epulis, id est, post esum agni Paschalis et cœnam usualem, licebat quippe familiis numerosis, quibus ad refectionem non sufficiebat agnus, aliquid ultrâ munducare: post hanc ergo cœnam usualem, seu sub illius finem, quando convivæ solent suavibus colloquiis se reficere; *accepit panem*, nempe triticeum et azymum, id est, absque fermento, quali nos Latini in sacrificio utimur; fermentatus enim erat Judæis prohibitus ab esu agni Paschalis et per septem dies sequentes (2).

In sanctas, ac venerabiles tot prodigiis manus suas; his etenim cæcis visum, surdis auditum, etc., reddiderat. Hæc verba in evangelio non leguntur, sed in liturgiis SS. *Basilii et Chrysostomi* inveniuntur, illaque retinet Ecclesia Latina, ut iis inculcet sacerdotibus debitum sanctitatis, reverentiæ et formidinis ad hoc tractandum mysterium.

Et elevatis in cælum oculis ad te Deum Patrem suum omnipotentem. Quamvis hæc verba etiam non

illa, cujus plenilunium immediatè sequebatur æquinoxium vernalium; igitur hæc luna respondebat lunæ nostræ martiali.

(1) Ita synodus Cæsarensis in Palæstina à *Theophilo* episcopo jussu *Victoris* Papæ habita, cui consentiunt *Anselmus*, *Ambrosius* et alii complures.

(2) Exodi 12. et 13.

sint de sacro textu, tamen non est dubium, quin Ecclesia hanc Christi actionem ex traditione acceperit. Porrò Christus oculos in cœlum elevavit ad suscitandam Patris sui virtutem et omnipotentiam circa panem et vinum, ut mutarentur in corpus et sanguinem suum. Eodem modo panes multiplicaturus (1), et *Lazarum* à morte suscitaturus (2), id est; opera miraculosa facturus, quæ à sola potestate divina pendebant, oculos elevavit; proindeque Christus ante institutionem Eucharistiæ in cœlum respiciens innuit opus grandè in manibus suis esse perficiendum, scilicet, panem esse convertendum in substantiam sui corporis.

Tibi gratias agens. Hæc verba referuntur à *S. Luca* (3) et *S. Paulo* (4). Porrò Christus gratias egit, non inclinans caput more nostro, sed tenens oculos ad Patrem suum elevatos, ut hominibus Sacramentum Eucharistiæ obtinerent, et se sentiens pro sua reverentia exauditum ob illud beneficium gratias ei egit, non verbis externis (illa verosimiliter retulissent evangelistæ) sed cordis loquelâ.

Benedixit. Putandum non est Christum crucem efformasse in Eucharistiæ materiam; crux enim nondum erat sanctificata morte ipsius. Quærendus est ergo alter sensus hujus benedictionis. *Catharinus* (5) et quidam alii tenent effectum hu-

(1) Matth. 14, v. 19.

(2) Joan. 11, v. 41.

(3) Cap. 22.

(4) 1. ad Corint., cap. 11.

(5) *Catharin. Ambrosius*, Senis in Italia natus, professus est in ordine FF. Prædicatorum anno 1515; adfuit concilio Tridentino 1547, promotus fuit ad episcopatum Mino-

jus benedictionis fuisse conversionem panis in corpus Christi; sic ut idem Christus addens: *hoc est corpus meum*, his verbis præcisè declaraverit suam præexistentem præsentiam. Verùm S. Thomas, et cum eo communissimè theologi sustinent Christum Dominum his verbis *hoc est corpus meum* consecrasse. Audiamus doctorem angelicum (1): *accipiens*, inquit, *panem*, *benedixit*, *dicens: hoc est corpus meum*, ita ut forma hujus benedictionis fuerint ipsa verba consecrationis. Nec obest, quòd inter benedictionem et consecrationem medient fractio et distributio. Ad hoc, loco citato, respondet ex Augustino, evangelistas non semper in referendo ordinem servare, quo res gestæ sunt: undè juxta eundem fractio et distributio secutæ sunt verba consecrationis modo sequenti. *Benedixit*, dicens: *hoc est corpus meum*, deindè fregit, et dedit discipulis suis. Nonnulli tamen, inter quos Fromondus (2), hærent ordini hujus historiæ, prout narratur in evangelio; et ratio eorum est, quòd in re tanti momenti nihil circa illum ordinem scriptores sacri mutavisse videantur: undè, juxta hos, 1.º *Benedixit*, invocando nomen Patris sui in panem, ut in corpus suum verteretur. 2.º *Fregit* in tot partes, quot erant communicandi, adeoque in 15; nam Christus (3) et Judas, juxta communem sententiam, cum aliis undecim communicaverunt. 3.º Christus *dedit*

rensem, à quo transiit anno 1552 ad archiepiscopatum Compsanum in Italia, ubi mortuus est anno sequenti. Sefamosum fecit doctis, sed singularibus in re theologica opinionibus.

(1) 3. p. q. 78, art. 1 ad 1.

(2) In 1 ad Corint., cap. 11. v. 24.

(3) Hieronymus, epist. 150, q. 2.

discipulis suis, nimirum in eorum manus (indè verosimiliter usus viguit primis Ecclesiæ sæculis dandi Eucharistiam fidelibus, ut propriis manibus se communicarent, sed quem Ecclesia majoris reverentiæ causâ erga Sacramentum abrogavit), *dicens: accipite*, in manus vestras, ut suprâ, *et manducate ex hoc omnes*, quibus verbis excitavit apostolos ad sumendum corpus suum per modum cibi. Porrò corpus suum præsens exhibuit sub speciebus panis hæc propositione practicâ: *hoc est corpus meum*. Particula *enim* non habetur expressè in textu sacro, sed in eo satis subintel- ligitur, nam cùm apostoli jam cœnavissent, ac saturati perfectè essent, nihil ampliùs poterat eorum appetitum excitare, nisi cibus extraordi- narius: undè ut Christus eos moveret ad man- ducandum, adduxit propositionem, ita ut dicam, causalem ulterioris manducationis, in qua natu- raliter imbibitur particula causalis *enim*, quare meritò Ecclesia illam adjunxit verbis consecra- toriis. Adde id factum non fuisse sine mysterio: illâ enim additione corpus Christi producitur in manibus sacerdotum quinque verbis, quod fuit olim formatum in utero Virginis his quinque aliis: *fiat mihi secundum verbum tuum*. Porrò verba con- secrationis hunc sensum præ se ferunt. Prono- men *hoc* designat panem, non sub ratione panis, sed edulii seu substantiæ. *Est* sumitur propriè, seu prout significat identitatem prædicati cum subjecto, considerarique debet ut verbum pra- cticum, quod virtute Omnipotentis operatur id quod significat: undè addito *corpus meum*, desinit substantia panis, et illius loco ponitur Christi corpus, id est, præcisè ossa et caro sine anima

et sanguine illius; id quippe tantum important verba consecrationis. Equidem sub minima specie consecrata, modò sensibili, adsunt cum corpore anima et sanguis; verum id accidit ob inseparabilitatem actualem partium Christi gloriosi; sic ut ubi ponitur aliqua pars Christi, ex concomitantia necessaria totus et integer Christus ponatur. Verba autem consecrationis sunt à sacerdote proferenda, non historicè tantum, sed et assertivè (1), seu sacerdos induens personam Christi affirmando dicere debet: *hoc est enim corpus meum*, et indè liquet sub Speciebus consecratis non adesse corpus sacerdotis, sed Christi, in cujus nomine et persona agit et loquitur.

ARTICULUS XXVIII.

De consecratione calicis.

I. CELEBRANS à secunda Hostiæ adoratione erectus, deponit manum sinistram in pedem calicis ad majorem illius in altari firmitatem, et interim tollit è calice pallam, ut vinum melius demonstretur pronomine *hic*, eamque deponit, sic ut partim jaceat super velum, et partim super altare, idque ut modicè elevata faciliùs resumatur, dum opus est. Est autem locanda omninò

(1) Contrariam sententiam tenerè visi sunt Græci; sed in concilio Florentino, urgentibus legatis Eugenii IV super hoc etiam puncto satisfecerunt. Confessio, quam suo ac aliorum Patrum Ecclesiam orientalem repræsentantium nomine, publicè in concilio exposuit Bessarion archiepiscopus Nicænus, legitur apud Mabillonium, *Musæi Italici* tom. 1. p. 243, et plura hanc in rem videre est apud Contin. Tournelii, tract. de *Eucharistia*, part. 1. cap. 4. Concl. 2.

extra corporale, quod solis Speciebus ferendis est destinatum. Deindè excutiens pollices et indices in calicem, eo fine, ut, si iis fortè adhæreant particulæ ex Hostia consecrata, in vinum decidant, et sic ab omni periculo profanationis semoveantur, dicit: *simili modo postquam cœnatum est. Addens: accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas, accipit* utrâque manu manubrium calicis, illumque ab altari paululùm elevat, et consequenter sic ut à populo non videatur. In primis non unâ, sed utrâque manu calicem apprehendit, ut Christum imitetur, qui in ultima cœna calicem, quo usus est, accepit in sanctas ac venerabiles manus suas. Deindè paululùm elevatur ob verbum *accepit*, nam calicis elevatio expressiùs significat illius apprehensionem, quàm si nudè tangeretur. Tandem ita modicè ab altari elevatur, ut populus eum non videat, quia nondum est consecratus, adeoque adorationi nondum exponendus. Deposito calice sub his verbis: *item tibi gratias agens*, caput inclinât, et ad *benedixit*, signat. Vide horum rationes in articulo præcedenti. Dicens: *deditque discipulis suis, dicens: accipite et bibite ex eo omnes*, retinet manu dexterâ manubrium calicis, sinistrâ verò apprehendit illius pedem, deponitque interea cubitos in altare, et elevato paululùm calice ac inclinato versùs se illius ostio, ut vinum sit sibi propius, profert verba consecrationis: *hic est enim calix*, etc., quibus integrè prolatis, demittit calicem, manusque retrahit ad facilitandam genuflexionem, easque deponit in corporale juxta extremitatem anteriorem. Flectens autem, dicit: *hæc quotiescumque feceritis, in mei*

memoriam facietis; quibus verbis ad mentem revocat finem instituti mysterii; proindèque sub illis attento spiritu in Speciebus consecratis releget memoriale mortis Domini. Erectus, elevat calicem, et quidem illius cuppam ultra caput, calicemque in altare reverenter depositum pallà coöperit, ne quid in illum decidat, ac denuò genuflexione adorat.

II. Sensus verborum, quæ ad consecrationem vini spectant, pro parte patet ex dictis de consecratione panis; quare hic tantùm perstringemus breviter superaddita huic formæ. Dicitur in primis *simili modo postquam cœnatum est*, relativè scilicet ad verbum primæ formæ *accepit*, quasi diceretur, sicut accepit panem, similiter *accepit et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas*. Calix denominatur *præclarus*, à re contenta, nempe à sanguine Christi, vel etiam ab ipso Christo, qui dicitur speciosus præ filiis hominum, quique in calice integer existit. Item tibi gratias agens *benedixit, deditque discipulis suis*, dicens: *accipite et bibite ex eo omnes*. De elevatione oculorum Christi ad Patrem hic siletur, et non mirum, quia elevans oculos ante panis consecrationem oraverat simul pro vini conversione. *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et æterni Testamenti; mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum*. In hac forma quinque tantùm verba pertinent ad confectionem Sacramenti, scilicet: *hic est calix sanguinis mei*; iis quippe importatur totum opus transsubstantiationis vini in sanguinem. Reliqua continent præcisè explicationem mysterii et illius effectus.

Pronomen *hic* designat vinum in calice sub ratione potûs, quasi diceretur hic potus, qui est præsens in calice, *est calix sanguinis mei*. Per metonymiam sumitur continens pro contento, quod familiare est in rebus liquidis; adeoque idem est omninò, ac si diceretur: hic est sanguis meus *novi et æterni Testamenti*, seu quo sancitur novum Testamentum, prout vetus sanguine hircorum et vitulorum olim erat sancitum. Dicitur *æterni Testamenti*, quia sacerdotium Christi in æternum manebit usque ad consummationem sæculi, nec aliud illi succedet. *Mysterium fidei*, quatenus præsentia Christi in Sacramento sensibus est impervia; tactu enim non palpatur, nec visu attingitur, sed solis fidei oculis cernitur. *Qui pro vobis et pro multis effundetur*. Pronomen *qui* refertur ad sanguinem; qui ergo sanguis *pro vobis* apostolis meis, *et pro multis aliis effundetur* (1) in ara crucis. *In remissionem peccatorum*; his ultimis verbis exprimitur effectus sacrificii, quod ut propitiatorium virtutem habet delendi pœnas peccatis debitas. Sed hic occurrunt duæ difficultates: et in primis quare, cum Christus mortuus sit pro omnibus, dicatur solùm *pro multis*? Equidem verum est Christum pro omnibus quoad sufficientiam sanguinem suum fudisse, sed quoad efficaciam illum fudit pro solis prædestinatis; hic autem sermo est de effu-

(1) In Græco habetur præsens *funditur* pro futuro, quod in Scripturis non est inusitatum, et eò magis hæc temporis mutatio locum hic invenit, quo instabat effusio sanguinis Christi. Ad tollendam tamen omnem æquivocationem auctor Vulgatæ maluit reddere in futuro *effundetur*, et hanc versionem in forma consecrationis Ecclesia servavit.

sione sanguinis Christi et efficaci illius applicatione; adeoque rectè dicitur pro multis, et non pro omnibus. Ast reponi potest, et est secunda difficultas; si in hac forma agatur de effusione sanguinis Christi quoad solam efficaciam, quomodo Christus verè dixit apostolis, *qui pro vobis effundetur*, cùm unus ex illis, nempe Judas, non perceperit fructum illius effusionis? Ad hoc dici potest præfata verba *Judam* non tetigisse, cujus Christus prævaricationem noverat, quamque apostolis indeterminatè manifestaverat dicens (1): *amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est... Væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur! Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, quibus verbis sortem pessimam sui proditoris annuntiavit; ita ut dicens *qui pro vobis effundetur*, illum in hoc sermone noluerit comprehendere (2). Sequitur: *hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Pronomen hæc refertur ad utramque consecrationem; adeoque sensus est: quotiescumque consecrabitur panem et vinum, id facietis in mei, seu mortis meæ commemorationem; sicut enim immolatio annua agni Paschalis memoriale erat transitus maris rubri respectu Judæorum, ita sacrificium missæ memoriale est mortis Christi donec veniat, ut habet *S. Paulus* (3).

(1) Matthæi 26.

(2) Quidam pro multis exponunt pro omnibus, quia omnes homines reverà multi sunt, et equidem interdum in Scriptura multi sumuntur pro omnibus. Juxta hanc expositionem omnis difficultas evanescit, quia constat quoad sufficientiam Christum esse mortuum pro omnibus etiam reprobis.

(3) 1 ad Corinth., cap. 11.

III. Sub actu consecrationis duo agit minister, nolam quippe pulsat, et casulam elevat. Primæ operationis ratio per se patet; pulsat enim, ut excitet adstantes, præsertim eos qui præ multitudine vel situ sacerdotem videre nequeunt, ad adorandas sacras Species. Rubrica habet ut ter pulsetur sub quavis adoratione, 1.º dum celebrans flectit, 2.º dum elevat Hostiam, seu calicem, et 3.º dum flectit post eorum elevationem; vel ut sub quavis adoratione continuò pulsetur. Prior tamen ritus videtur alteri præferendus, quia trino pulsu melius respectu adstantium exprimuntur actus celebrantis.

Advertunt hic auctores, et id meretur attentionem rectoris cujusque ecclesiæ, sub exequiis solemnibus, et absoluteione super defunctum, dum missæ privatæ leguntur, infra illas nolam non esse pulsandam, ne continuis genuflexionibus adstantes perturbentur, et distrahantur.

Deindè minister nolam pulsans dexterâ, casulam sinistrâ elevat. Hic ritus, attentâ casularum, quibus nunc utimur, brevitate, et quæ nullatenus obsunt sacerdotis genuflexionibus, nullâ ratione suadetur, nisi usûs antiquissimi: quippe dum casula totum corpus circumquaque tegebat ab humeris usque ad pedes, necessitate à ministris revolvebatur, ad facilitandas celebrantis genuflexiones, aliasque operationes, et cum simul et semel casulæ non transierint ad brevitem modernam, sed paulatim, usus elevandi casulam diu consequenter viguit, et ad nos usque pervenit; sic ut jam considerari debeat, ut vestigium antiquitatis.

IV. Elevatio sacrarum Specierum in antiquissimis et novis Græcorum liturgiis præscribitur, non quidem immediatè post earum consecrationem, sed ante communionem, quando velum retrahitur, quo celebrans à conspectu populi impediabatur. Idem ritus ex usu vetustissimo practicatur in Ecclesia Occidentali, sed olim nulla alia SS. Specierum elevatio invenitur in Romanis liturgiis, quàm illa modica, quæ fit hodie dum ante orationem dominicam sub his verbis: *omnis honor et gloria*. Major, quæ nunc fit post utramque consecrationem, non est antiquior sæculo XI, incepit enim, juxta *Mabillon* (1), circa medium citati sæculi; juxta *Lebrun* (2), sub initium XII. Uterque forsan posset conciliari, dicendo quòd aliqui sub medium sæculi XI inceperint illam praticare, et circa initium sequentis usus ille fuerit communis.

Elevationi autem Specierum occasionem dedit hæresis *Berengarii* (3) ad cujus confutationem quidam immediatè post consecrationem Hostiam

(1) In commentario ad ord. Rom. num. 7.

(2) Explic. hist. cærem. miss., pag. 4, art. 8, tit. orig. elevat. etc.

(3) *Berengarius*, Andegavi archidiaconus, thesaurarius et scholasticus *S. Martini* Turonensis, suscitavit errorem *Joannis Scoti* aliter *Erigenæ*, quo infectus negavit præsentiam realem Christi in Eucharistia. Damnatus 1.º in conc. Turon. anno 1054. 2.º In Romano 1059. 3.º In conc. Rothomagensi 1063. 4.º In Pictaviensi 1075. In alio Romano sub *Greg. VII* 1078. Toties errorem abjuravit, sed toties mox ad vomitum rediit. Tandem in alio Romano conc. sub *Greg. VII* anno 1078, denuò damnatus errorem agnovit, et duobus post annis in conc. *Burdigalensi* professionem veræ fidei iterùm emisit. Mortuus est anno 1088; juxta nonnullos verè pœnitens, sed juxta alios in errore suo.

elevaverunt, ut à fidelibus verum Christi corpus adoraretur. Illius lex scripta in Galliis invenitur sub *Odone de Soliaco*, episcopo Parisiensi 1198. quam paulò post confirmavit *Guillelmus* ejusdem ecclesiæ episcopus. A Gallia usus elevandi Hostia pertransiit in Germaniam, ibique fuit promulgata à *Guidone* (1) cardinali anno 1205. Quandoque verò idem fuerit Romæ præscriptum, non constat, inquit *Bona*; probabiliter tamen dici potest præfatum *Guidonem* elevationem Hostiæ in Germania præscribentem, ritum in Italia jam vigentem solum promulgasse.

V. Sub hujus ritus exordio solæ Species panis elevabantur (2): et ratio hujus erat, quòd Hostia consecrata contineat corpus et sanguinem Christi. Sic ut illius adoratio satis esset ad profitendam realitatem utriusque in hoc Sacramento. Aliundè fideles prostrati morabantur ab elevatione Hostiæ, donec peracta esset consecratio calicis, et consequenter censebantur calicem adorare. Hic ritus nunc viget in ordine Carthusianorum, qui idcirco solam Hostiam elevant. Interim, in majorem et expressiorem hujus veritatis professionem, elevationi Hostiæ brevè successit elevatio calicis, nam de ea ut jam usitata loquitur *Durandus* (3), qui floruit sæculo XIII. Diverso tamen ritu olim hæc

(1) *Guido*, abbas Cisterciensis, et deindè cardinalis, missus fuit Coloniam tanquam legatus S. Sedis ad confirmandam electionem *Othonis* imperatoris, ibique anno citato elevationem SS. Specierum instituit.

(2) Ord. Præmonstratensium anni 1215, Us Cisterciensium 1215, ord. et missale FF. Prædicatorum 1254, et alia plura ejusdem circiter ætatis mentionem faciunt solius Hostiæ elevationis.

(3) Lib. 4, cap. 41, in fine.

elevatio fiebat ; alii enim calicem pallâ tectum , alii verò discoöpertum elevabant , proüt constat ex eodem *Durando* (1). Ast cüm subesset periculum , ne motu calicis palla ex eo caderet , præscriptum est in ordine Romano XIV , sæculo XIV , ut calix discoöpertus elevaretur , sicque jam ab omnibus practicatur.

Suprà diximus institutam fuisse Specierum elevationem contra *Berengarii* hæresim , sed hæc ratio alias spirituales , quas pii auctores in ea quæsierunt , non excludit : illas breviter attingimus. In elevatione Specierum sacerdos cogitare potest Christum in cruce exaltatum , et in earundem demissione Christum indè depositum , et in sepulchro conditum , vel Christum in cælum ascendentem , et deindè judicem venturum , de quo scriptum est (2) : *hic Jesus qui assumptus est à vobis in cælum , sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cælum*. Significatur etiam eadem Specierum elevatione hunc cibum aliis omnibus alimentis supereminere , de quo sequentia carmina scripsit *Hildebertus* (3) :

*Tollit utrumque notans , quòd sit communibus escis
Altior , et quiddam majus utrumque gerat.*

(1) Lib 4 , cap. 52 , in fine.

(2) Actuum cap. 1.

(3) In expositione missæ , pag. 1144. *Hildebertus* natus est in tractu Vendocinensi in Gallia. Primò fuit discipulus *Berengarii* , deindè *S. Hugonis* Cluniacensis. Creatus episcopus Cenomaniensis , transivit ad archiepiscopatum Turonensem. Mortuus est anno 1152 ; indèque potest trahi argumentum , quòd jam , saltem in aliquibus ecclesiis , calix post illius consecrationem elevaretur.

VI. Oratio *hæc quotiescumque feceritis*, etc., in ordine Romano XIV legenda præscribitur post elevationem calicis, quod Dominicani retinuerunt. In quibusdam missalibus impressis sæculo XVI (1), invenitur unita per modum unius verbis consecrationis. Carmelitæ autem illam proferunt calicem elevantes; similiter et Carthusiani paululum coram se calicem in altum tollentes. Idem præscribitur in Mediolanensi et quibusdam aliis Ecclesiis. Ast in missalibus à *S. Pio V* reformatis ponitur absolvenda inter consecrationem et elevationem calicis, seu tempore genuflexionis; et ratio hujus dispositionis est, quòd hæc verba cadant, non tantum supra consecrationem calicis, sed et Hostiæ; adeoque rectius proferuntur demisso calice, ne videantur designare solam illius consecrationem; sicque ut fiat satis rubricæ, celebrans debet incipere *hæc quotiescumque*, etc., dum manus à calice retrahit, et illam absolvere, antequam denuò calicem apprehendat ad illum elevandum.

ARTICULUS XXIX.

De oratione, undè et memores.

I. Post secundam calicis adorationem, celebrans, extensis juxta latitudinem humerorum manibus, recitat orationem, *undè et memores*, etc. Sub illa Carthusiani, Carmelitæ et Domi-

(1) In missalibus Ecclesiæ Narbonensis, annorum 1528 et 1572. Item in missali *Antonii de Longueil* in Britannia inferiori legionis episcopi, impresso circa finem sæculi XV, legitur: *super os calicis hæc dicendum est usque ad verbum facietis.*

nicanus manus extra corpus extendunt et exhibent figuram crucis; idque ut sensibilibus se monstrent memores passionis Christi, cujus fit mentio in hac oratione. Idem juxta *Lebrun*, fuit olim practicum in nonnullis Galliae Ecclesiis, practicumque in Ecclesiis Lugdunensi et Senonensi. Sed Ecclesia Romana hunc ritum non assumpsit, simpliciterque praescribit extensionem manuum ad humeros, tum quia hic situs gravior et decentior videtur, tum quia fit expressa passionis Christi memoria in oratione; ita ut imago crucis brachiorum extensione figurata non videatur necessaria ad illius memoriam excitandam.

II. Dum profert celebrans *de tuis donis ac datis*, jungit manus in signum venerationis et humiliationis, coram eo quem mox cruce signationibus confessurus est verum Deum. Depositâ igitur sinistrâ manu in corporale, quinquies signat oblata. Circa quod, inquiritur 1.º de horum signorum natura, et 2.º de eorum numero? Circa primum, dicitur signa crucis post consecrationem differre ab iis quæ fiunt super oblata ante illam; nam ante consecrationem habent naturam benedictionis, sed hæc ratio iis non convenit perfecta consecratione, quia repugnat benedicti Sacramentum continens fontem omnis benedictionis: undè dicendum quòd cruces, quæ super oblata formantur post consecrationem, dum fit mentio corporis vel sanguinis Christi, præcisè important esse idem corpus, quod fuit cruci affixum, eundemque sanguinem, qui è cruce fluxit de eodem corpore; proindeque sub illis sacerdos et adstantes provocantur ad actum fidei circa præsentiam Christi realem in hoc Sacramento.

Ad secundum dicitur crucem regulariter formari super corpus et sanguinem Christi, quando hæc verba exprimuntur, cum autem quinques hic exprimantur, consequenter quinques signantur, et quidem ter super corpus et sanguinem simul, quia hæc verba, *Hostiam puram, Hostiam sanctam, Hostiam immaculatam* afficiunt utrumque; bis autem seorsim corpus et sanguis, quia *panem sanctum vitæ æternæ* designat solum corpus, et *calicem salutis perpetuæ* solum sanguinem. Sensum spiritualement hic requirentibus *S. Thomas, Soto, et Natalis Alexander* sub numero quinario signorum crucis quinque plagas Christi meditandas proponunt.

III. Primum verbum hujus orationis; unde respectum ducit ad præcedentia, scilicet, hæc *quotiescumque feceritis, etc.*, quasi diceretur, hujus ergo præcepti memores nos servi tui. In plurali, inquit *Lebrun*, celebrans loquitur, quia olim unica fiebat missa, cui omnes ministri aderant, quique hic cum celebrante comprehendebantur; sed verosimilius, nos servi tui involvunt sacerdotem, et omnes sacrificio præsentem, qui, ut jam diximus, suo modo offerunt cum ipso sacerdote. *Sed et plebs tua sancta*, scilicet, tota militans Ecclesia, in cujus nomine quodlibet etiam sacrificium Deo offertur. Hic observari meretur, quòd celebrans, qui de se et adstantibus humiliter sentit, ne quis laude elatus in se superbiat, dicendo nos servi tui, de absentibus honorificè loquatur, vocando eorum collectionem *plebem sanctam*: porrò talis est Ecclesia militans, 1.º Sanctitate Christi capitis ejus. 2.º Sanctitate baptismi, per quem Deo consecrata est, et dedicata

in omnibus suis membris, inter quæ multi sanctè et justè vivunt. 3.º Sanctitate sacrificii et Sacramentorum, undè *S. Petrus* (1) fideles alloquens, ait: *vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis.*

Ejusdem Christi Filii Domini nostri tam beatæ passionis, necnon ab inferis Resurrectionis, sed et in cælos gloriosæ Ascensionis. Memoriam passionis adjungitur memoria Resurrectionis et Ascensionis, è quòd his mysteriis consummatum fuerit sacrificium crucis; in Resurrectione enim quidquid mortale aut corruptibile erat in corpore Christi fuit destructum, et in Ascensione victima sic à terrenis defecata, fuit Deo præsentata; adeoque rectè jungitur passioni Christi illius complementum, seu Resurrectio et illius Ascensio. Passio Christi hinc *beata* dicitur, non in se, sed in suo effectu; Ascensio verò *gloriosa* in se, tum ratione virtutis, quâ Christus se tulit in altum, tum ratione comitatûs, quem traxit è limbis, et quo circumdatus intravit in regnum suum.

Offerimus præclaræ Majestati tuæ de tuis donis ac datis, sive spectetur materia sacrificii, scilicet, panis et vinum, sunt donum ac datum divinæ providentiæ, sive spectetur victima ejusdem sacrificii, corpus nimirum et sanguis Christi, quæque hinc potissimum veniunt attendenda, etiam verè et propriè dona sunt et data ex parte Dei. Quamvis donum ac datum idem significare et omninò coincidere videantur, assignari tamen potest aliquod discrimen; nam donum importat liberalitatem puram ex parte donantis, non autem

(1) Epist. 1. Cap. 2.

datum : sic executio promissionis gratuitæ est donum in fonte , et datum in executione ; et identidem institutio Eucharistiæ donum fuit ex parte Dei illam instituentis , et promittentis , ac præcipientis illius usum ; dum autem actualiter se dat nobis in hoc mysterio , nil obstat quominus Eucharistia rationem dati habeat.

Hostiam puram , Hostiam sanctam , Hostiam immaculatam , panem sanctum vitæ æternæ et calicem salutis perpetuæ. Pura , sancta , immaculata sunt synonyma , quibus sub diversis verbis inculcatur hujus mysterii sanctitas. Interim strictè loquendo in his quædam significatio diversa inveniri potest. Dicitur ergo *pura* , quia operatione sancti Spiritûs fuit concepta absque ulla carnali commixtione. *Sancta* , quia fuit unita Divinitati , quæ fons est omnis sanctificationis. Tandem *immaculata* , quia Christus fuit impeccabilis. Additur *panem sanctum vitæ æternæ*. Hostia dicitur panis , more usitato sacræ Scripturæ , ob materiam ex qua conficitur , simul et ob species panis post consecrationem remanentes : ad tollendam tamen omnem æquivocationem , dicitur *sanctum et vitæ æternæ* , quibus ultimis verbis effectus Eucharistiæ exprimitur , de quo scriptum est (1) : *qui manducat meam carnem , et bibit meum sanguinem , habet vitam æternam*. Quare additur *et calicem salutis perpetuæ*.

IV. Hæc oratio invenitur in liturgia Græca S. Petri , et in constitutionibus apostolicis (2) ; in-

(1) Joan. 6.

(2) Lib. 8, cap. 17.

dèque assumpta est, juxta *Gavantum* et *Belotte* (1), et in canonem invecata ab *Alexandro I*, qui *S. Evaristo* Papæ successit anno 109, quique mortuus est 119.

ARTICULUS XXX.

De oratione, supra quæ propitio.

I. CIRCA ritus hujus rationis nihil est observandum, nisi quòd recitetur more solito manibus extensis: undè solùm sensus illius est aperiendus, et inquirenda illius ætas. Quoad sensum, in primis dicitur: *supra quæ*, scilicet, corpus et sanguinem Christi, de quibus in præcedenti oratione. *Propitio ac sereno vultu respicere digneris*. Deus nos intuetur vultu propitio, dum peccata nostra remittit; sereno autem, dum gratias suas nobis impertitur: proindèque his verbis petimus à Deo misericordiam, simul et ejus gratias. *Et accepta habere, sicuti accepta habere dignatus es munera pueri tui justii Abel, et sacrificium patriarchæ nostri Abrahæ, et quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam*. Cùm in his verbis plures involvantur difficultates, eas per partes elucidabimus in numeris sequentibus.

II. Quæritur in primis, quomodo non sit injuriosa sacrificio novæ Legis comparatio illius cum suprâ tactis oblationibus? *R.* Hic non fieri comparationem sacrificii cum sacrificio, sed sacerdotis cum sacerdote; ita ut quæramus præcisè,

(1) In observationibus ejusdem, p. 578.

ut sacrificium oblatum corporis et sanguinis Christi sit coram Deo acceptabile ex parte nostri; sicut olim fuit sacrificium *Abel*, *Abrahæ* et *Melchisedech*, ex parte ipsorum: undè delirat *Lutherus*, dum censet celebrantem se constituere mediatorem inter Deum et Christum, ut hujus oblatio benevolè à Patre acceptetur.

III. Quæritur deindè quare potius mentio fiat sacrificii *Abel*, *Abrahæ* et *Melchisedech*, quàm aliorum, qui etiam sub veteri Testamento Deo placuerunt? *R.* Quia horum sacrificia specialius attingunt et repræsentant sacrificium Christi, quàm aliorum: nam 1.º sanguis justus *Abel* iniquè à fratre effusus, eleganter exprimit sanguinem Christi à fratribus Judæis effusum. Deindè è sacris *Paginis* constat *Abel* primogenita Deo obtulisse, quibus etiam depingitur sacrificium Christi, qui ab Apostolo (1) vocatur *primogenitus in multis fratribus*.

2.º *Abraham* immolans *Isaac* filium suum unigenitum, specialiter figurat Patrem æternum pro nobis Filium suum unicum immolantem. *Isaac* autem lignum ferens sacrificii, repræsentat Christum lignum crucis portantem. Ulteriùs idem *Isaac* à morte servatus Christi Resurrectionem obumbravit.

3.º *Melchisedech*, quatenus in Scriptura nominatur sine patre, sine matre, sine genealogia, absque initio et fine dierum, in his omnibus refert Christi imaginem; conceptus quippe fuit in tempore sine patre, et à patre genitus ab æterno sine matre, deindè eò quòd ponatur sine

(1) Ad Rom., cap. 8.

genealogia, Christum etiam figurat, de quo scriptum est: *generationem ejus quis enarrabit?* Generatio autem Christi æterna non obscure insinuatur silentio initii et finis dierum *Melchisedech*. Præterea fuit rex Salem (1), id est, pacis; fuit sacerdos Altissimi, et obtulit panem et vinum, quibus perficitur sacrificium novæ Legis et Sacramentum Eucharistiæ, indèque novus typus sacerdotii Christi; hic enim Rex est pacificus, Rex universæ terræ, Sacerdos et Pontifex novi Testamenti, et assumpsit panem et vinum in materiam sui sacrificii et Sacramenti: hinc Psaltes regius (2), tacitis sacerdotibus aliis, Christum comparat soli *Melchisedech*, dicens: *tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech*.

IV. Sed undè constat oblationem panis et vini factam à *Melchisedech* fuisse sacrificium? Ex his Scripturæ verbis (3): *at verò Melchisedech rex Salem proferens panem et vinum (erat enim sacerdos Dei altissimi) benedixit ei, (nempe Abrahamo).... Et (Abraham) dedit ei decimas ex omnibus, etc.,* ubi attendenda particula causalis enim: *Erat enim sacerdos*, importat actum sacerdotii ipsum egisse; idque confirmant verba Prophetæ regii antè citata et quibus utitur Ecclesia in festo corporis Christi, cantans: *sacerdos in æternum Christus Dominus secundum ordinem Melchisedech panem et vinum obtulit*. Idem innunt benedictio et perceptio decimarum de quibus suprà; nam jura videntur sacerdotii.

(1) Juxta interpretes, per Salem intelligitur Jerusalem.

(2) Psalmo 109.

(3) Lib. Genesis, cap. 14.

V. Sed quem ritum servavit *Melchisedech* in sua oblatione? Juxta sententiam communem, sacerdos ille panem et vinum primò obtulit Altissimo, ad ipsius honorem, et verosimiliùs in gratiarum actionem pro parta Abrahami victoria; et deindè dapes illas sic sanctificatas in cibum et potum Abrahæ et militibus ejus distribuit indèque alia figura Eucharistiæ, quæ cedit in refectionem spiritualem fidelium.

VI. Quid intelligitur per *sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam*? Nonnulli putantes hæc verba soli missæ Sacrificio congruere, ad hoc illa referunt, medio tamen dispari: aliqui enim ex ipsis præfata attrahunt ad orationis initium et sic sensum construunt: *supra quæ, scilicet, sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam, propitio, etc.*: alii è contrà detrahunt ex hac oratione citata verba, et illa transportant ad orationem sequentem hoc sensu, *sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam, supplices te rogamus, etc.* Sed sub his constructionibus sensus nimiam patitur violentiam: undè rectiùs videtur dicendum verba illa spectare ad sacrificium *Melchisedech*; nihil quippe obstat, quominus sanctum et immaculatum dicatur, si non in se et absolutè, saltem ratione sacrificii novæ Legis, quod sensibilibiter exprimebat, quodque aliquo modo erat in illo imbibitum. In hujus confirmationem addi potest, quòd cruce non formentur sub illis verbis, quod fieri solet in cursu missæ, dum fit mentio corporis et sanguinis Christi.

VII. Hæc oratio est antiquissima, reperitur quippe in liturgiis SS. *Petri* et *Basilii*, necnon in opere auctoris quæstionum novi et veteris

Testamenti (1), quod inter opera *S. Augustini* recensetur. Ultima tamen verba *sanctum sacrificium, immaculatam Hostiam* sunt institutionis recentioris; tribuuntur enim *Leoni magno*, qui floruit sæculo V.

ARTICULUS XXXI.

De oratione, te supplices.

I. CELEBRANS, junctis manibus, iisque in altare depositis, et corpore inclinato profundè, dicit: *supplices te rogamus*, etc. 1.º Manus jungit et corpus inclinat, ut humilitatem situ corporis demonstret, quam sermone explicat. 2.º Manus deponit in altare, ubi actualiter Christus quiescit, ut magis expressè significet cui se subjiciat, vel ut demonstret eum, cui intendit adjungi. Carthusiani, Carmelitæ et Dominicani sub iisdem verbis inclinant se, primi manibus, alii verò brachiis cancellatis, quo optimè suam etiam subjectionem exprimunt. Idem ritus in Sinarum imperio viget; dum enim duo sibi occurrunt, in testimonium mutuæ subjectionis se incurvant, brachiis ante pectus complicatis. Idem quoque fuit in liturgia Romana practicatum usque ad finem sæculi XVI, prout videri potest in ordine Romano XIV et multis missalibus antiquis, in quibus hæc oratio præscribitur legenda *manibus cancellatis ante pectus (vel in modum crucis) ita quòd dextrum brachium sit supra sinistrum*. Indèque est, quòd præfati religiosi à nobis discrepent; servant quippe ritum antiquum Romanæ Ecclesiæ.

(1) In appendice, tom. 3, novæ editionis.

II. Dicto *ut quotquot*, et depositis in corporale manibus, ut art. XXVII, n. II, celebrans altare osculatur ad captivandam hoc signo amoris Dei benevolentiam, ut sibi et aliis mereatur obtinere benedictionem, seu gratias, de quibus in fine orationis. Erectus ab osculo altaris, jungit manus ante pectus. Hujus junctionis ratio ita obscura videtur, ut eam sub silentio prætermittant auctores; solus *Devert* aliquam reddere conatur; considerat enim hanc manuum junctionem, ut naturalem ad signandum præparationem, sed rem in se spectando, simplicius et facilius foret sinistram relinquere in corporali, et dexterâ statim oblata signare. Undè hic ritus fundari debet in ratione purè spirituali, quam suprâ jam tetigimus. Junguntur ergo hîc manus in signum piæ venerationis et humiliationis erga eum quem duabus crucibus sacerdos confessurus est verum Deum latitantem sub Speciebus eucharisticis; quare dicens *corpus*, signat Hostiam, ut indicet idem esse in altari, quod in cruce pependit, et pariter proferens *sanguinem*, ut significet eundem esse in calice, qui è corpore cruci affixo fluxit. Addens *omni benedictione cœlesti et gratiâ repleamur*, seipsum signat ad profitendum benedictionem quam quærit, à meritis Christi crucifixi se expectare. Tandem concludens *per eundem Christum Dominum nostrum*, manus jungit ante pectus, quia hæc verba continent speciem quamdam conjurationis, quæ exigit in conjurante statum supplicantis, et qui manuum junctione exprimitur.

III. Sensus hujus orationis, juxta *Innocentium III*, intellectu valdè difficilis est; *tantæ sunt*, inquit, *profunditatis hæc verba*, ut intellectus huma-

nus vix ea sufficiat penetrare. Nihilominus cum in illam profunditatem ingrediantur auctores, juxta eorum explicationem procedemus. In primis hæc oratio fit in plurali *te supplices rogamus*, seu attingit sacerdotem, et eos qui ad sacram communionem sunt parati. Hæc praxis communicandi infra missam erat communis primis Ecclesiæ sæculis: undè in ordine missæ oratio quæ intitulatur *communio*, sic denominatur eò quòd olim cantaretur sub communionem fidelium. Nec obest consuetudinem illam jam desiisse; interdum enim è pulvere suscitatur, quòd sufficit ad retinendam in plurali præsentem orationem; optandumque foret ut, quantum fieri licet, renovaretur, hoc est, ut distributio Eucharistiæ fieret non post missam, sed immediatè post sacerdotis communionem.

Omnipotens Deus, his verbis Patrem alloquimur; nam omnipotentia ei specialiter tribuitur. *Jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui. Jube*, hæc expressio magnum orantis studium ingerit, sed difficultas est, quisnam per Angelum significetur? Nonnulli existimant sermonem esse de aliquo indeterminatè ex angelicis spiritibus; ita ut sensus sit, jube hæc perferri ministerio alicujus ex Angelis, vel sumendo nomen Angeli pro pluralitate, ministerio Angelorum, et hic sensus primo aspectu videtur sat genuinus, cum constet ex officio Angelos preces nostras Deo offerre, et suâ intercessionem illas sustinere: hinc *Raphaël ad Tobiam dixit: quando orabas cum lacrymis, ego obtuli orationem tuam Domino.* Verùm communis interpretatio habet per Angelum hîc Christum esse intelligendum, qui in sacris Pæ-

ginis vocatur, *magni consilii Angelus*; adeoque sensus est, jube seu impera hæc, id est, corpus et sanguinem Christi per ipsummet Christum perferri *in sublime altare tuum*, hoc est, cœlum empyreum, quod est altare Dei viventis, de quo sæpè in Apocalypsi; et ad quod ascendunt omnia sacrificia, orationes et opera pietatis, ponunturque sub oculis Dei, ideoque additur *in conspectu divinæ Majestatis tuæ*. Interim non est sensus, ut Christus de altari tollat sacras Species, eas elevet in cœlum, et Deo eas ibi præsentet, sed solùm quærimus, ut suâ potenti mediatione figat benevolos Dei oculos in sacrificium præsens sui corporis et sanguinis, *ut quotquot ex hac Altaris participatione sacrosanctum Filii tui corpus et sanguinem sumpserimus per communionem, omni benedictione cœlesti et gratiâ repleamur*. Per benedictionem intelliguntur omnia Dei dona, quibus ad vincendas tentationes, et replenda munera nostra, maximè nostri statûs, adjuvemur; sed cùm inter dona Dei primum locum teneat gratia sanctificans, ideo nominatim illam exposcimus, *et gratiâ repleamur*. Per Christum Dominum nostrum, per quem solum possumus exaudiri et salvari. *Amen*; hoc verbo totam orationem summatim renovamus, eamque firmamus novo desiderio ut exaudiamur.

IV. In constitutionibus apostolicis (1) certa quædam precationis formula habetur, quæ orationi supplices respondet; in ea etenim dicitur: *adhuc atque adhuc oramus... ut Deus qui bonus est, illud, nempe sacrificium, mediante Chri-*

(1) Lib. 8, cap. 15.

sto suo, recipiat in cœleste suum altare ad odorem suavitatis. Ex his verbis mediante Christo suo erui potest argumentum in confirmationem sententiæ suprâ positæ, nempe per Angelum Christum significari. Auctor qui primus dignoscitur meminisse orationis *supplices* est *Amalarius*, qui mortuus est anno 814, quique simul refert (1) à sacerdote inclinatio esse recitandam. Ejusdem orationis et inclinationis rubricam habet ordo Romanus II (2). Canon autem missæ in sacramentario Gregoriano sæculi XII non tantùm monet hanc orationem sub inclinatione esse recitandam, sed et altare esse osculandum, uti nunc fit.

In missali bibliothecæ Vaticanæ, quod, juxta cardinalem *Bona*, scriptum videtur ante sexcentos annos, et consequenter circa sæculum XI, cùm præfatus vir mortuus sit 27 Octobris 1674, exstat oratio dicenda in orationem *supplices* et *memento*; porrò in hac sacerdos offerebat sacrificium in honorem mysteriorum Christi, beatæ Mariæ Virginis, et omnium Sanctorum, pro se peccatore, parentibus et benefactoribus. Videri potest integra apud eundem *Bona* (3) et *Georgi* (4). Alterius ejusdem ferè tenoris meminit *Durandus* (5), sed meritò demptæ sunt è missalibus, quia celebrans jam pro se et aliis viventibus oravit in *memento* vivorum; reliqua autem, quæ in illis precibus habentur, sunt mera repetitio orationis *suscipe, sancta Trinitas*.

(1) Lib. 5, cap. 26.

(2) Num. 10.

(3) *Rer. liturg.*, lib. 2, cap. 14, n. 1.

(4) Lib. 4, cap. 9.

(5) *Rationalis*, lib. 4, cap. 45.

ARTICULUS XXXII.

De oratione, memento.

I. CELEBRANS, dum dicit *memento*, manus tardè disjungit, easque jungit ante pectus; sed hæc ita cautè sunt præstanda, ut manus sint in continuo motu à verbo *memento* usque *in somno pacis*, sub quibus solùm junctio manuum fieri debet, et postea earum modica elevatio. Ut omnes norunt, extensio et elevatio manuum sunt gestus naturalis Deum invocantis, adeoque congruus sacerdoti pro mortuis hinc oranti; porrò manuum extensionem et junctionem protrahit in signum majoris studii, ut exaudiatur. Deindè manibus junctis, capite inclinato, et oculis in Hostiam defixis, orat aliquantulum in silentio pro defunctis. Hæc omnia præ se ferunt suì rationem. 1.º Junctio manuum, et capitis inclinatio denotant actualiter supplicantem. 2.º Figuntur oculi in Sacramentum, quia cum Deo ibi præsentem agit sacerdos causam defunctorum. 3.º Hæc oratio fit in silentio ad majorem orantis recollectionem et devotionem. Ulteriùs dici potest, quòd situs præsens sacerdotis indicet hominem alto vacantem negotio, et certè non modica res est liberare animas è pœnis purgatorii.

Finità oratione, caput erigit, et manibus extensis prosequitur more solito; dicens: *per eundem Christum*, etc. jungit manus, et caput Sacramento inclinat. Hæc inclinatio fit præter legem communem, quæ solùm inclinationem exigit, quando in conclusione nomen *Jesus* pro-

fertur ; idque juxta *Devert*, ob verbum immediatè præcedens, scilicet, *deprecamur*, quod per se importat aliquam subjectionem, vel juxta *Gavantum* ob sequentia, nimirum *nobis quoque peccatoribus*, quæ sunt maximæ humiliationis.

II. Incipit hæc oratio, *memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum*. Particula *etiam*, juxta nonnullos, hic invenitur relativè ad *memento* pro sacerdote et aliis, de quo in præcedente art., sub fine, quodque immediatè memoriæ defunctorum præponebatur; et reverà in supposito talis orationis præcedentis *memento* defunctorum, naturalis relatio resultabat inter hanc et præcedentem precationem, et exprimebatur per particulam *etiam*. Verùm hoc aliàs, et pro locis, in quibus orationi pro defunctis alia præmittebatur. Nunc autem, cùm nihil mediet inter orationem *supplices* et *memento*, alius terminus relationis particulæ *etiam* inveniendus est : porrò referenda videtur ad *memento* vivorum, quod præcessit in canone, quodque constituit cum aliis partibus ejusdem canonis unam totalem orationem.

Post hæc verba *famularumque tuarum*, sequuntur in missalibus Romanis N. et N., tenentque locum diptycha seu tabellæ in qua erant scripta defunctorum nomina, quæ hic altâ voce exprimebantur. Hic ritus juxta *Martene* (1) duravit usque ad sæculum XII. Antiquam illam consuetudinem altè exprimendi nomina defunctorum suscitavit *Antonius de Creguy*, cardinalis et episcopus Ambionensis : quippe qui testamento anni 1574,

(1) De Antiq. eccl. Rit., lib. 1, cap. 4, art. 8, n. 24.

jussit in missa conventuali Ecclesiæ suæ cathedralis in ea parte, in qua oratur pro mortuis, ut diaconus altâ voce dicat : *memento, Domine, animarum servorum tuorum, Joannis et Antonii de Crequy*. Idem ferè servatur in Ecclesia Parisiensi, ubi senior canonicus, sub *memento* pro defunctis, ad celebrantem accedit, et ad eum clamat : *memento animæ Cardinalis de Gondy* (ejusdem Ecclesiæ fuerat episcopus); ast juxta usum modernum, ne fideles altâ defunctorum relatione perturbentur in hac parte sacrificii, celebrans negligit litteras N. et N., et in silentio orat pro mortuis dicto *in somno pacis*. Et ne aliqui occasionem errandi desumant ex his litteris N. et N., in multis missalibus Gallicanis (1) expunctæ sunt.

Qui nos præcesserunt cum signo fidei, seu cum caractere baptismi, quo aggregati Ecclesiæ fidem Christi perceperunt, et jugum illius fideliter portaverunt, *et dormiunt in somno pacis*. Animæ in purgatorio quamvis realiter patiantur; tamen dicuntur dormire, et quidem in somno pacis; tum quia pax est certa inter Deum et ipsas; tum quia securæ sunt de præmio æternæ felicitatis, et liberæ ab omni tentatione, æstu concupiscentiæ, ac periculo cujusvis peccati; undè fit, ut pœnas purgatorii summâ patientiâ et tranquillitate sustineant, donec per satisfactionem, vel suffragia nostra purgentur et sponso jungantur.

(1) Non inveniuntur in missalibus Ecclesiæ Parisiensis anno 1615 impressis, nec in iis Ecclesiæ Laudunensis anni 1702, nec etiam in missalibus Ecclesiæ Meldensis anni 1709, nec tandem in pleribus aliis.

Dicto *in somno pacis*, celebrans orat voce secretâ, vel etiam solâ mente pro iis defunctis, pro quibus intendit orare; deindè prosequitur: *ipsis Domine*, nempe iis, quorum meminit, *et omnibus in Christo quiescentibus*, hoc est, pro omnibus, qui in statu gratiæ mortui sunt, sed cum peccatorum debitis, quæ operibus pœnitentiæ hîc in terra non solverunt (1).

Locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen. 1.º Petitur pro fidelibus defunctis locus *refrigerii*, seu ut liberentur ab ardore ignis quo torquentur. 2.º *Lucis*, quia separati à Deo, qui lux est ipse et dies, jacent in obscuris tenebris, à quibus ut educantur, et ad claram Dei visionem perducantur, quærimus. 3.º *Pacis*: quamvis incolæ purgatorii quiescant super sorte sua futura, tamen ex privatione Dei, memoriâ suorum

(1) Quidam Orientales, nempe Syri, Maronitæ, Æthiopes et Alexandrini in hoc *memento* orant pro beata Virgine, sed ex errore, quo tenent animas Sanctorum in paradiso terrestri, usque ad diem resurrectionis detineri; sic ut orent pro ejus futura glorificatione; convicti tamen de illius Sanctitate in officio publico B. V. M. patrocinium invocant. Pariter juxta ritum Mozarabicum, quem cardinalis *Ximenès* in una Hispaniæ Ecclesia restituit, in *memento* defunctorum leguntur nomina *SS. Hilarii, Martini et Athanasii*, idque profluit ex usu vetusto, qui in Sanctorum catalogo soles martyres inscribat, quique pro aliis Sanctis orationes admittebat; interim, ut advertit cardinalis *Bona* lib. 2, cap. 14, n. 4, non intenditur eorum liberatio à pœnis purgatorii, sed glorificatio quædam accidentalis, nempe ut ab hominibus magis ac magis colantur. Et ita intelligi debet hæc secreta *S. Leonis*, quæ in antiquis codicibus legitur: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatio*, cujus loco jam dicimus: *Annue nobis, Domine, ut intercessione B. Leonis hæc nobis prosit oblatio.*

peccatorum, et aliis pœnis necessariò perturbantur et confunduntur; quare petimus, ut citò in paradysum introducantur, ubi neque clamor, neque dolor erit ultrà. Hæc autem postulamus per Christum, qui olim descendit ad inferos, et indè justos eduxit ad regna cœlestia. Additur *amen* sensu ordinario.

III. Ritus orandi pro defunctis reperitur in vetustissimis liturgiis, et communissimè tenetur illum vigere à temporibus apostolorum, et reverà de eo loquuntur auctores primorum sæculorum tamquam de re usitata; nempè *Tertullianus* (1), *S. Augustinus* (2) et alii multi. Hinc quidam absque fundamento hunc morem tribuunt *Pelagio I*, qui solùm floruit sæculo VI, nam in primis dubitatur an prædictus Papa decretum aliquod circa hoc condiderit; quippè alii illud dant *Sixto II*, qui vixit sæculo II. In supposito tamen, quòd unus ex illis tale decretum fecerit, dici potest et debet, quòd ritum præexistentem tantùm confirmaverit. Porrò usus orandi pro mortuis non fuit ab Ecclesia Romana inventus, sed è veteri Testamento haustus (3), ubi legimus *Judam Machabæum* pecuniam collegisse ad sacrificandum pro iis qui in prælio ceciderant, ut à peccatis solverentur. Nec obest locum istum nimis probare, nempè preces et sacrificia offerri posse pro damnatis, siquidem ii, quorum ibi fit mentio, graviter peccasse videantur contra præceptum divinum (4) sibi reservando sub tunicis donaria ido-

(1) De corona milit.

(2) Serm. 54. de verb. apost.

(3) Lib. 2. Machab., cap 12.

(4) Deuteron, cap. 5.

lorum *Jamniæ*, quod causa fuit mortis eorum. Nam dicitur peccatum illud vel non fuisse lethale, utpote procedens à spiritu cujusdam avaritiæ venialis, vel saltem plures ante obitum pœnitentiam egisse; pro his et non pro aliis sacrificia fuisse oblata constat ex loco citato Scripturæ (1), ubi agitur tantùm de illis *qui cum pietate dormitionem acceperunt.*

ARTICULUS XXXIII.

De oratione, nobis quoque peccatoribus.

I. CELEBRANS dicens: *nobis quoque peccatoribus*, demittit sinistram in corporale, ne sola in aere pendula indecenter maneat; dexterâ verò pectus tundit, ut verbo et facto ad exemplar publicani se peccatorem profiteatur: id autem fit cautè, scilicet, extremitate ultimorum digitorum, ne cum pollice et indice tangatur casula cum periculo particularum ipsis fortè adhærentium. Sub citatis verbis paululùm vocem elevat; tum ad suscitandam populi adstantis attentionem, tum ut unusquisque simili pectoris tusione se peccatorem declaret. Deindè prosequitur manibus extensis, ac more solito manus jungit, dicens: *per Christum Dominum nostrum. Amen.*

II. Præviâ oratione pro mortuis, naturale est, ut sacerdos pro se et adstantibus oret; ut autem Deum efficacius commoveat super se et aliis, qualitatem peccatoris in se et adstantibus agnoscit dicens: *nobis quoque peccatoribus.* Sed quo-

(1) Lib. 2. Machab., cap. 12. §. 45.

modò se peccatorem dicere potest, qui ante ingressum ad altare stolà innocentiae vestiri debet? Ob peccata præterita licèt pœnitentiæ fletibus remissa, necnon ob defectus veniales, à quibus nemo liber existit. Particula quoque relationem facit inter hanc et præcedentem orationem, quasi diceretur, quæsivimus fidelibus defunctis locum refrigerii, lucis et pacis eamdem quoque gratiam nobis quærimus *famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus*. Ne qualitas peccatoris efficaciam orationis obsit, addit qualitatem servi, in qua spem fundat divinæ miserationis obtinendæ; quare hâc spe fretus prosequitur: *partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis sanctis apostolis et martyribus: cum Joanne, Stephano, Mathia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Cæcilia, Anastasia*. Hi Sancti et Sanctæ sunt studiosè quæsiti ex omni ordine curiæ coelestis, scilicet, *Joannes Baptista* (1) ex ordine prophetarum; *Stephanus* è classe diaconorum; *Mathias*, apostolorum; *Barnabas*, discipulorum; *Ignatius*, episcoporum (cujus festum celebratur Kalendaris Februarii); *Alexander*, Pontificum (cujus festum incidit in diem tertiam Maii); *Marcellinus* è classe sacerdotum (festum illius agitur secundâ die Junii); *Petrus*, exorcistarum (etiam 2 Junii colitur unà cum præcedente, cujus fuit in pas-

(1) Inn. III tenet in hac oratione *Joannis evangelistæ* mentionem fieri, quatenus semel nominaretur ante consecrationem quâ apostolus, et iterùm post illam quâ virgo; sed communissima et vera sententia hîc stat pro *Joanne Baptista*, idque patet ex liturgiis SS. *Basilii* et *Chrysostomi*, in quibus expressis verbis nominatur *Joannes Baptista*.

sione socius). E conjugatis *Perpetua et Felicitas* Nonis, seu 7 Martii; e virginibus *Agatha* 5 Februarii; *Lucia* 13 Decembris, *Agnes* 21 Januarii; *Cæcilia* 22 Novembris, et *Anastasia* 25 Decembris.

Et omnibus Sanctis, intrâ quorum consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor, admitte. Eò quòd incolæ regni cœlestis unum tantùm corpus componant, factâ enumeratione quorundam martyrum, quorum consortio aggregari petimus, votum extenditur ad omnes cœli habitatores *et omnibus Sanctis, intrâ quorum consortium, etc.* His verbis patet differentia inter orationem *communicantes* et præsentem; in illa quippè quærimus Sanctorum patrocinium; in hac verò consortium, non quidem innixi propriis meritis, sed gratiæ, et miserationi divinæ; idque *per Christum Dominum nostrum*, per quem Sancti vicerunt regna, et adepti sunt repromissiones, et per quem solum salvari possumus.

III. Quæritur cur in hac oratione *S. Stephanus* præponatur *S. Mathiæ*? Quia Ecclesia sequitur ordinem temporis quo passi sunt: undè primo loco ponit *S. Joannem Baptistam*, deindè *S. Stephanum*, et tertio *S. Mathiam*. Sed undè hic est discretus ab aliis apostolis, de quibus in oratione *communicantes*? Eò quòd fuerit electus post passionem Christi, et nomen illius cum nominibus aliorum apostolorum in evangelio non legatur. Sed hâc ratione *S. Paulus* foret nominandus in præsentem oratione, non sub *communicantes* ante consecrationem. R. *S. Paulum* locum habere cum apostolis speciali ratione, scilicet, ob intimam illius unionem cum Principe apostolorum; quâ de causâ Ecclesia in officio eos non separat, quos

vita et mors semper unitos tenuit; undè dum unius fit officium, memoria alterius adjungitur.

IV. De hac oratione et ritibus illius loquuntur antiqui libri et auctores. Ordo Rom. II habet (1); *et cum dixerit, apertâ clamans voce, nobis quoque peccatoribus, surgunt*, etc. Ordo I (2) habet simpliciter: *et cum dixerit nobis quoque peccatoribus, surgunt subdiaconi*, ubi, licèt non fiat explicita mentio vocis altæ, satis tamen insinuatur, cum dentur illa verba in signum, ut surgant ministri. Idem refert *Amalarius* (3), *exaltat vocem suam, dicendo: nobis quoque peccatoribus*. Audi præterea *Micrologum* (4): *cum autem sacerdos vocem exaltat, dicens: nobis quoque peccatoribus, etc.* Innoc. III (5) ultrâ meminit tusionis: *cum enim, ait, ad id ventum est nobis quoque peccatoribus famulis tuis, sacerdos paululum expressâ voce, percusso pectore, silentium interrumpit*. Eadem scribit et repetit *Durandus* (6). Usum tamen elevandi vocem sub *nobis quoque peccatoribus*, non fuisse universalem, erui potest ex consuetudinibus Carthusianorum, qui vocem ad dicta verba non extollunt, quique probabiler id acceperunt ab Ecclesia Lugdunensi, vel Gratianopolitana, ubi domus, mater ordinis sita est. In antiquo missali Vaticano, quod citat *Georgi* (7) post *Athanasium* in præsentî oratione legun-

(1) Num. 10.

(2) Num. 16.

(3) Lib. 5, cap. 26.

(4) Cap. 17.

(5) Lib. 5, myst. miss., cap. 12.

(6) Lib. 4, cap. 46

(7) Lib. 4, cap. 10, n. 2, pag. 98.

tur *Euphemia*, *Victoria et Anatolia*, quæ passæ sunt sub *Decio*. De his videri possunt Bollandistæ ad diem 9 Julii (1). Alias additiones habet cardinalis *Bona* (2) ex Vaticanis codicibus, pariter et *Menardus* (3) è vetustissimis libris. Verùm si fidem demus *Georgi*, loco suprâ citato, in vetustissimis exemplaribus extrema omnium ferè est *Anastasia*: undè inferre licet has additiones non viguisse ubique, sed solùm in locis quibusdam, vel ex devotione indiscreta particularium, vel saltem ex indulto Pontificis.

ARTICULUS XXXIV.

De ultima parte canonis.

I. Dictò *per Christum*, etc., prosequitur *per quem hæc omnia semper bona creas* manibus junctis: tum quia nihil exigit earum separationem, tum quia manuum junctio, ratione antedictâ, est præparatio ad signationem. Deindè depositâ sinistrâ, ter signat dicens *sancti ✕ ficas, vivi ✕ ficas, bene ✕ dicis et præstas nobis*. Hæc signa formantur ad demonstrandum quòd sanctificatio panis et vini, eorundem vivificatio per verba consecrationis, et benedictio, huic Sacramento annexa, sint fructus crucis, in qua Christus expiravit. Nulla autem crux fit sub verbo *creas*, quia creatio præcessit opus humanæ redemptionis.

II. Ut dixit *et præstas nobis*, tollit pallam è calice, quia intrâ illius cuppam mox debet agere

(1) *Julii*, tom. 2, p. 671 et seq.

(2) Lib. 2, cap. 14, §. 5.

(3) Lib. 1, cap. 4, art. 8, §. 25.

deindè ob detectum sanguinem Sacramentum genuflexione adorat. Erectus accipit manu dexterâ Hostiam, et tenens sinistrâ calicem per manubrium ad majorem illius firmitatem, supra sanguinem cum Hostia tres cruces delineat sub his verbis *per ip ✠ sum, et cum ip ✠ so, et in ip ✠ so*, et deindè duas alias inter se et calicem, dicens: *est tibi Deo Patri ✠ omnipotenti in unitate Spiritûs ✠ sancti*. In primis ter sanguis signatur cum Hostia sub dictis verbis, ut quodammodo indigetetur quis sit ille de quo verba sonant in ore sacerdotis, nempè ut significetur sermonem esse de Christo, seu de eo cujus sanguis è cruce fusus est, et qui actualiter in calice continetur; et cujus corpus in cruce pependit, quodque præ manu celebrantis gestatur; cùm autem ter pronomen *ipse* repetatur, ter eadem veritas cruce exprimitur. Deindè bis extra calicem sub nomine Patris et Spiritûs sancti, quia Pater et Spiritus S. personaliter naturam humanam non assumpserunt, nec consequenter in cruce passi sunt. Interim signatur sub ipsorum nominibus ad indicandum quòd è mysterio crucis profluxerit eis omnis honor et gloria: quippe Majestas divina per peccatum læsa, in sola Christi morte debitam invenit injuriæ sibi illatæ reparationem.

Auctores in his ritibus varias rationes mysticas invenerunt. *S. Thomas* (1) ait per tres cruces quæ fiunt ad illa verba *per ipsum, etc.*, significari tres orationes Christi in cruce; quarum prima *ignosce illis*: secunda *Deus, Deus meus*,

(1) 2. p. q. 83, art. 5 ad 5.

ut quid dereliquisti me, et tertia Pater, in manus tuas commendo spiritum meum, vel juxta eundem tres horas, quibus Jesus pependit in cruce. Alii alias pro sua devotione et pietate quæsierunt; hac super re amatores sensûs spiritualis videre possunt *Durandum*, qui multiplices harum crucesignationum significationes refert (1).

Sacerdos deindè dicens *omnis honor et gloria*, calicem simul et Hostiam paululùm elevat. *Hanc autem gloriam*, inquit *Gavantus* post *Bissum*, in *exaltatione calicis et Hostiæ manifestamus*. Olim seu antequam elevarentur sacræ Species post earum consecrationem; præsens elevatio calicis et Hostiæ altior quàm nunc erat. Utrùm autem ultra caput fieret? Silent super hoc omnes antiqui codices, et Romani ordines. Sed de hac elevatione redibit sermo in fine hujus articuli, postquam dixerimus de sensu hujus orationis.

III. Ecclesia terminans canonem reddit rationem, cur præcedentem et alias dicti canonis orationes concludat, *per Christum*, etc., quia, inquit, alloquens Deum, ille est *per quem hæc omnia semper bona creas, sanctificas, benedicis et præstas nobis*. Difficultas est de quibus bonis hic sit sermo. Ad quod sciendum est, olim in hac parte sacrificii sacerdotem novos fructus, legumina, mel, carnes, poma, uvas, fabas, etc., benedicere consuevisse: id probat cardinalis *Bona* (2) ex antiquis missalibus ac liturgiis. Et apud *Martene* (3) exstant monumenta benedictionis no-

(1) Lib. 4, cap. 46, n. 10 et seq.

(2) Lib. 2, cap. 14, num. 5.

(3) Tom. 4, p. 568, 574 et 575, primæ editionis.

varum frugum in festo Ascensionis, novorum pomorum in festo *S. Jacobi*, et uvarum in die *S. Xysti*, ejusdemque supersunt vestigia in ecclesiis præsertim ruralibus, in quibus quotannis fructus novi benedicuntur, non quidem intra, sed ante missam. In supposito autem hujus ritûs antiqui, quo fruges benedicebantur, præsens oratio, inquit *Devert* (1), non tantùm cadebat in oblata sacrificii, sed et in dictas fruges, et hujus sententiæ favent hæc verba præsentis orationis, *per quem hæc omnia semper bona*, quæ in altari multiplicem supponunt oblationem. Dubitant tamen nonnulli, an novi fructus non benedicerentur speciali ritu et oratione, uti oleum jam benedicitur feriâ V majoris hebdomadæ: sed dubii argumentum convincens non adferunt; ita ut verosimiliter fieret dictorum fructuum benedictio ipsâ oratione sacrificii. Interim quidquid sit de hac controversia, inquit *Bened. XIV* (2), certum quidem est, non in quavis missa novorum frugum benedictionem fieri potuisse, et nihilominus in omni missa dici consuevisse *per quem hæc omnia*, etc., quod et nunc locum habet; undè necessitas exurgit prædicta verba explicandi de oblatis sacrificii, nullâ habitâ ratione novorum fructuum: adeoque sensus est *per quem hæc omnia semper bona creas*, id est, panem et vinum, quorum species manent in altari, non obstante eorum consecratione: Deus quippè in principio temporis omnia per verbum creavit, eundemque actum creationis continuat è sinu foecundo terræ quot-

(1) Tom. 5, p. 1, cap. 7, rub. 166.

(2) Tom. 1, de sacrif. miss., sect. 1. n. 308.

annis educendo novum frumentum et vinum. *Sanctificas* acceptando panem et vinum tibi oblata in materiam consecrationis, quo fit ut hæ substantiæ transeant ex usu profano in usum spirituales adeoque sanctificentur. *Vivificas* per verba consecrationis, quibus substantia panis et vini transit in corpus et sanguinem Christi, qui sub Speciebus eucharisticis vivit. *Benedicis* quatenus hoc Sacramentum est fons omnis gratiæ et benedictionis. *Et præstas nobis* per communionem, quâ gratiæ divinæ participes efficimur.

His dictis de Christo relativè ad nos, de eodem dicitur relativè ad Divinitatem; *per ipsum* quâ redemptorem et universorum reparatorem, et *in ipso* quâ unus est Deus cum Patre; *et in ipso*, quâ consubstantiali Patri *est tibi Deo Patri omnipotenti, in unitate Spiritûs sancti*, qui à Patre et Filio procedit, quique cum eis est unus Deus: *omnis honor et gloria.*

IV. Oratio *per quem hæc omnia* et cætera quæ sequuntur usque ad orationem dominicam inveniuntur cum modernis ritibus in libris *Innoc. III.* (1), *Durandi* (2), et deindè in missalibus Romanis; sed antè variationes passa est. In sacramentario *Gelasii* cruces desunt sub *sanctificas, vivificas et benedicis*; in sacramentario autem Gallicano cruces præponuntur verbis citatis, et consequenter non sub illis, sed ante quodvis eorum fiebant. In ordine Romano primo (3) cruces non præscribuntur sub *per ipsum*; sic enim in eo legitur: *Pontifex autem tangit à latere calicem cum oblatis dicens*: per ipsum et cum ipso usque

(1) De myst. miss., lib. 5, cap. 11.

(2) Lib. 4, cap. 48, n. 19.

(3) Num. 16.

per omnia sæcula sæculorum. Amen. Idem habet ordo III (1). Sed in ordine II (2) habentur duæ cruces; *tangit*, inquit, *è latere calicem*, *cum oblatis faciens duas cruces*, *et dicens* per ipsum et cum ipso *usque* per omnia sæcula sæculorum. *Micrologus* qui floruit circa XII sæculum, sub his verbis *per ipsum*, etc., ponit quatuor cruces supra calicem formandas, ad repræsentanda quatuor vulnera in manibus et pedibus Christi, et quintam in latere calicis ad indicandum vulnus lateris ejusdem Christi: *undè*, ait, *et calicem ex eodem latere tangimus*, *juxta Romanum ordinem*. Fatetur tamen ibidem diversimodè hunc ritum à nonnullis observatum fuisse; quare addit: *multi tamen tres tantùm cruces super calicem*, *et duas in latere faciunt*. *Sed videtur incongruum*, *cùm Christus nullum vulnus in latere habuerit*, *nisi unum*. Hunc ultimum ritum adoptavit ordo Romanus XIV, hoc solùm mutato, nempe quòd duæ ultimæ cruces non fierent ad latus calicis, sed inter calicem et pectus celebrantis, prout nunc practi-

V. Ante sæculum XII, vel saltem medium XI, nulla alia Specierum elevatio fiebat, quàm illa quæ respondet his verbis *omnis honor et gloria*: eratque altior quàm illa quæ nunc fit sub iisdem. Utrùm autem Species elevarentur ultra caput celebrantis, non constat ex libris liturgicis: ordines quippè Romani I, II et III (3) habent, calicem exaltatum fuisse juxta Pontificem:

(1) Num. 15.

(2) Num. 10.

(3) I. num. 6; II. num. 10, et III, num. 15.

Pouget tamen (1) refert ita exaltatum fuisse, ut videretur à populo; sed undè assertum hauserit, silet. Verùm ut ut sit, certum est hanc calicis et Hostiæ simul exaltationem factam fuisse eo fine, ut populus adoraret Sacramentum: undè in Ecclesia Parisiensi campanula pulsatur sub hac elevatione, et in his partibus multi idem practicant, quamvis præter rubricam missalis Romani. In Ecclesia Narbonensi fit incensatio sub hac Specierum elevatione, et Novioduni subdiaconus et diaconus flectunt sub illa, uti ad consecrationem: porrò hæc omnia sunt vestigia ritûs antiqui, quo populus excitabatur ad adorandum hic Sacramentum, et quo reipsâ adorabat. Ante sæculum IX, calix exaltabatur sub his verbis: *per ipsum*, etc., uti constat ex antiquis ritualibus, et notanter ex primis ordinibus Romanis (2). In ordine autem IV (3) elevatio calicis præscribitur facienda sub *per omnia sæcula sæculorum* ante orationem dominicam; quod retinuerunt Carthusiani. In quibusdam Ecclesiis juxta *Durandum* (4) tenebatur calix elevatus sub tribus primis petitionibus orationis dominicæ, et hoc, ut videtur, quia in illis quidam actus adorationis habentur. Tandem in ordine Romano XIV, fuit stabiliter constitutum, ut calix modicè elevaretur sub his præcisè verbis, *omnis honor et gloria*. Hæc tamen rubrica ord. XIV non statim fuit ubique acceptata; nam ex variis missalibus (5)

(1) Tom. II, instit. cathol., p. 869.

(2) Ex I. num. 16, II. num. 10, et III. num. 15.

(3) In fragmento ordinis IV apud *Mabillon*, p. 61.

(4) Lib. 4, cap. 46, n. 25.

(5) Ex missal. Rom. impressis Viennæ, ann. 1510. Colonizæ

constat ritum elevandi calicem sub verbis, *per omnia sæcula sæculorum*, in Gallia et Germania viguisse usque in sæculum XVI. Interim calicis et hostiæ elevatio ante orationem dominicam, quæ prius major erat, institutâ elevatione Sacramenti immediatè post illius consecrationem, sensim cœpit minui, sic ut jam ex mente rubricarum pes calicis tantùm ab altari quatuor circiter digitis extolli debeat.

Sed undè factum est, ut elevatio calicis, quæ olim fiebat sub his verbis, *per omnia sæcula sæculorum*, attracta fuerit ad hæc *omnis honor et gloria*? 1.º Quia hæc ultima verba important finem, ad quem Species elevantur, nempe actum adorationis. 2.º Ut celebrans, coöperto calice, et factâ genuflexione, liber ab omni actu quietiùs intonet, maximè in missa solemni, *per omnia sæcula sæculorum*, etc. Nihilominùs *Devert* et *Lebrun* desiderant antiquæ rubricæ restitutionem, seu ut immediatè post *omnis honor et gloria*, adderetur *per omnia*, etc., et deindè calix tegeretur, etc. Ratio eorum est quòd interpolatio quæ necessario intervenit juxta ritum novum perturbet sensum orationis. Ast respondetur dictam interpolationem, quam facit celebrans deponendo hostiam, tegendo calicem et flectendo, ita esse brevem, ut non frangat, saltem multùm, orationis sensum, præsertim cùm celebrans in mente retinere possit verba *omnis honor et gloria*, et ad illa referre verba sequentia, scilicet, *per omnia*, etc. Solum cavendum est in missa solemni, ne can-

1509. Augustæ Vindelicorum 1555. Venetiis 1565, Rothomagi 1525. Lugduni 1526 et Parisiis 1542.

tus protrahatur ultra genuflexionem sacerdotis. Aliundè ritus antiquus non erat absque ullo inconveniente; nam juxta illum sub ipso cantu deponenda erat Hostia, calix tegendus, et adorandum Sacramentum; undè nata erat sequi perturbatio in ipso cantu.

ARTICULUS XXXV.

De oratione dominica.

I. CELEBRANS dicto *omnis honor et gloria*, deponit sacras Species; excutit deindè pollices et indices intrà calicem, ut fragmenta Hostiæ, si quæ iis adhæreant, in sanguinem decidant; tum coöperto calice, et factâ coram Sacramento genuflexione, retinens hinc et indè manus supra corporale, idque pro majori sua commoditate, et quia aliundè nihil requirit manuum gesticulationem, profert altâ voce *per omnia sæcula sæculorum*, cui minister respondet *amen*. Hæc verba, ut attendenti patet, pertinent ad orationem præcedentem, iisque canon concluditur: porrò voce altâ proferuntur ad excitandum populum, ut confirmet et ratificet vota ad Deum infra canonem emissa, quod et præstat populus respondendo *amen*. Nec agit insipienter sic confirmando ea quæ auditu non percepit, quia est omninò certus Ecclesiam nihil à Deo petere, nisi consonum ipsius gloriæ et saluti fidelium; adeòque tutò potest respondere *amen*.

Celebrans dicens *oremus*, more usitato manus jungit, et caput Sacramento inclinat, non cruci quia figuratum in altari præsens hanc reveren-

tiam præ figura sibi vindicat. Deindè retinens manus junctas ob venerationem divini præcepti, quod refert in præfatiuncula orationis dominicæ, pergunt dicere, *præceptis salutaribus moniti*, et cætera usque ad *Pater*.

Congruenter admodum hæc præfatio dominicæ orationi præmittitur, ut nempè celebrans et populus ab omni temeritate se purgent, dum in principio illius Deum *Patrem* appellant; seposito enim privilegio super hoc, vel præcepto, temerarium foret creaturam Deum Patrem suum dicere. Undè Judæi defectu talis facultatis Deum, non Patrem, sed Dominum timidi vocabant; supposito autem præcepto, quale factum est Christianis (1), omnis audaciæ seu temeritatis species tollitur. Rectè ergo sacerdos Deum dicentur Patrem, illius præceptum commemorat, ut ostendat, non ex contemptu, sed ex obedientia ita se agere. Dicens *Pater noster*, etc., id est, incipiens orare, manus extendit ad eum cui supplicat; oculosque in missa privata figit in Hostiam, ubi præsens est is ad quem sermonem habet. Dicto *et ne nos inducas in tentationem*, respondet minister nomine populi, *sed libera nos à malo*. Olim, uti probat Mabillon (2) ex Gregorio Turonensi, in Galliis oratio dominica à sacerdote et adstantibus simul recitabatur, quod et à Græcis practicatur, uti conspicitur ex eorum liturgiis. Ast Romæ satis semper fuisse videtur, quòd altà voce recitetur à sacerdote, populo at-

(1) *Matth.* 6. his verbis : *sic ergo vòs orabitis : Pater noster, qui es in caelis.*

(2) De liturg. Gall., lib. 1, cap. 5. num. 22

tendente; sic præcavetur confusio, et devotioni fidelium satisfit; tamen ut populus in hac oratione partem suam habeat, ei indulgetur ultima petitio facienda, *sed libera nos à malo*, quâ paucis verbis omnes alias petitiones resumit; nam qui ab omni malo liberatur, sanctificat Dei nomen, tendit ad regnum Dei, etc.

Postea celebrans secretò dicit *amen*, quo confirmat non modò petitionem factam à populo dicente *sed libera*, etc., sed et juxta *Durandum* (1) præcedentes. Dicitur voce secretâ, inquit *Devert* in hanc rubricam, ob cantum in missa solemni; cùm enim, ait idem auctor, celebrans prosequatur sub cantu *sed libera*, etc. frustrâ diceret *Amen* voce altâ; undè inquit, Carthusiani, qui *amen* non subjungunt, nisi cantatum sit *sed libera nos à malo*, illud proferunt clarâ voce. Sed contra eum reponi potest Dominicanos *amen* similiter non adjicere, nisi completâ ultimâ petitione à choro, qui nihilominùs secretò illud proferunt; adeoque citatus auctor aliquid concludere nequit ex libris religiosorum, in quibus idem ritus variat. Meliùs ergo dici debet *amen* esse confirmationem non tantùm ultimæ petitionis, sed et aliarum; cùm autem omnes factæ sint voce altâ, nihil requirit summariam earundem renovationem clarâ voce fieri; et ideò celebrans hic intrat in secretum cum Deo commercium, ut proferat *amen*.

In missa Mozarabica ad singulos ferè petitiones populus respondebat *amen*. De hoc ritu loquitur *Boherius* (2).

(1) Lib. 4, cap. 48, n. 20.

(2) In comment. secundo super reg. *S. Benedicti*, ad c. 11.

II. Hic esset locus dicendi de sensu hujus orationis, sed ne prolixior evadat articulus præsens, de eo in sequenti. Superest ergo dicere de antiquitate hujus partis missæ, circa quod omninò tenendum est ritum orationis dominicæ infra actionem sacrificii esse institutionis apostolicæ; de eo quippè loquuntur SS. *Augustinus* (1) *Hieronymus* adversus Pelagianos, (2) *Cyrillus Hierosolymitanus*, (3) et *Gregorius Turonensis*. (4) De eodem sic scribit *S. Gregorius Magnus* (5): *Orationem dominicam mox post precem* (id est, canonem) *dicimus, quia mos apostolorum fuit, ut ad ipsam solummodò orationem oblationis, hostiam consecrarent*. Ex his verbis malè videtur inferre *Mabillon* (6) hunc Pontificem fuisse auctorem, aut potius restitutorem ritus orationis dominicæ in liturgia romana; nihil enim tale innuunt citata verba, quin potius usum illius vigentem continent; ait enim *dicimus*; et sanè non est verosimile quòd ritus ab apostolis institutus, et in omnibus Ecclesiis religiosè conservatus, Romæ fuerit neglectus.

Post orationem dominicam, *Clemens III* instituit, juxta *Andream Ratisponensem* (7) ut cantaretur psalmus *Deus, venerunt gentes*, etc. quousque liberarentur Christiani à paganis. *Innoc. III* eundem psalmum cum versu et oratione decantari præcepit post osculum pacis (8). *Nicolaus III*,

(1) Ep. 59. ad *Paulinum*.

(2) Lib. 3. p. 543. editionis Paris.

(3) *Cathec. Mystag.*, 5.

(4) Lib. 2. de miraculis *S. Martini*, cap. 30.

(5) Lib. VII. *Epist.* 64.

(6) *Comment.* in ord. Rom. tit. 7. pag. 4.

(7) In chronico ad ann. Dom. 1188.

(8) In litt. *Encyclicis*, lib. 16. *Epist.* 28.

ex cardinali *Bona* (1), ad pacem obtinendam inter christianos principes, jussit dicto *pax Domini sit semper vobiscum*, cantari psalmum *Lætatus sum*, cum aliquot versiculis et collecta pro pace. *Joannes* tandem XXII (2), ad pacem Ecclesiæ et sedandas perturbationes ab hæreticis et schismaticis conflatas edixit, ut in singulis missis post orationem dominicam diceretur psalmus *Lætatus sum*, cum nonnullis versiculis et collectis. Ast cùm causæ harum additionum essent transitoria, additiones præfatæ cum illis transierunt.

III. Duo supersunt hic discutienda: 1.º Quâ de causâ, dum Summus Pontifex celebrat in die Paschæ, non respondeatur *amen* post *per omnia sæcula sæculorum ante Pater noster*? *Georgi* (3) ex aliquo ordine Romano hoc adducit responsum: *Notandum verò quòd, cùm Papa dicit ante inchoationem Pater noster, per omnia sæcula sæculorum, non respondetur amen: Hoc ideo introductum est, quia olim, cùm S. Gregorius celebraret in die Paschæ et cantaret per omnia sæcula ante Pater noster, Angeli responderunt amen.* Adeoque hoc fit in memoriam hujus miraculi. Sed mirum quòd citatus auctor aliundè tam exactus in citandis fontibus, undè haurit, hic absque ulla specificatione cujus ordinis Romani, dicat indeterminatè in aliquo ordine. Ad inveniendum hunc locum, ordines Romanos pervolvi, sed præcisè in XI, in XIV, et XV (4), *amen* in casu esse omittendum re-

(1) Lib. 2. cap. 16. n. 4.

(2) Extravagant. Commun., lib. 3. tit. de celeb. miss.

(3) Lib. 4. cap. 12. n. 3. p. 107. et 108.

(4) In XI. Num. 47. in fine; in XIV. n. 95. in fine; in XV. n. 84.

peri, ast absque ulla ratione superaddita. Interim cum auctor noster in omni suo opere re-
lator fidelis appareat, non est dubium, quin
miraculum supra relatam in aliquo saltem libro
veteri invenerit, quod satis est, ut fides quæ-
dam ei adhibeatur.

2.º Quid dicendum de opinione eorum qui
solâ consecratione, oratione dominicâ et com-
munionem? R. Hanc opinionem esse falsam evin-
citur è verbis Apostoli, quibus præcipit fidelibus,
ut suos cœtus sanctificent psalmis, hymnis, can-
ticis, orationibus et preceationibus: porrò sub illis
cœtibus conficiebant Eucharistiam: adeoque multi-
ritus, et attento fervore illius temporis, vero-
similiter longiores quàm nunc præcedebant et
subsequebantur consecrationem corporis et san-
guinis Christi. Idem habet *S. Justinus*: referens
enim (1) liturgiam suæ ætatis; id est, II sæculi,
et valdè probabiliter liturgiam apostolorum, cum
non longè post apostolorum tempora apologiam
scripserit, mentionem facit lectionis doctrinæ apo-
stolorum et prophetarum, instructionis et pre-
cum quæ præcedebant confectionem Euchari-
stiæ, necnon gratiarum actionis quæ subsequen-
tibus temporibus fiebant in fideles, ut interdum
dictæ preces abbreviarentur, et fortè in casu ur-
gentiori sacrificium absolveretur consecratione,
oratione dominicâ et communionem, quâ aliquoties
præcipitanter se muniebant fideles in sui con-
fortationem contra tyrannos, sed id in solo casu
extraordinario.

(1) Apologia 2.

ARTICULUS XXXVI.

De sensu orationis dominicæ.

I. SACERDOS, finito canone, altè dicit *oremus*, quâ voce populum excitat, ut orationem dominicam secum faciat; ad hoc autem, ut eum efficacius moveat, refert non modo præceptum divinum dictam orationem recitandi (1) *præceptis salutaribus moniti*, sed et addit hanc orationem fuisse à Deo compositam, et ab eo in ore nostro positam *et divinâ institutione formati*, seu edocti ad orandum ut infra, *audemus dicere*. Hæc ultima verba plena sunt humilitate et veneratione erga Deum; hoc enim modo loquendi *audemus dicere*, agnoscimus nos indignos Deum alloquendi, et præsertim eum vocandi in initio orationis Patrem nostrum.

II. *Pater noster, qui es in cælis*. Hoc est quoddam proëmium orationis dominicæ; quo designatur objectum, cui fiunt petitiones quas continet. Nomen Patris dupliciter sumitur, notionaliter scilicet et essentialiter. Primo modo acceptum convenit primæ personæ SS. Trinitatis relativè ad secundam. Secundo autem modo sumptum afficit tres personas divinas relativè ad creaturas: porrò hoc ultimo sensu Deum hîc vocamus Patrem, quia tres personæ divinæ ad nostrî formationem concurrerunt; quippè omnipotentiâ Patris, sapientiâ Filii, et bonitate Spiritûs sancti conditi sumus; adeoque dicendo, *Pater no-*

(1) *Matthæi 6.*
Tom. IV.

ster, totam simul SS. Trinitatem alloquimur. Nomen autem Patris, quod Deo tribuimus respectivè ad nos, solidam in nobis debet excitare fiduciam, nam si Deus sit Pater noster, sumus filii ejus, et consequenter nos amat amore verè paterno, sicque spes in eo posita confundi nequit. Dum verò adjicimus *noster*, profitemur Deum Patrem esse, non hujus vel illius in particulari, sed omnium: undè sequitur nos omnes hìc in terris esse fratres, adeòque mutuà charitate diligendos. *Qui es in cœlis*, sic loquendo, non intendimus negare Deum suà immensitate ubique esse præsentem, sed præcisè significamus speciali modo ipsum in cœlis regnare, quatenùs ibi coram electis expandit lumen gloriæ suæ. Fides hujus divinæ in cœlis residentiae est adeò cordibus humanis implantata, ut omnes indistinctè justi pariter et impij, dum in aliquo constituuntur periculo, sursùm oculos ad Deum tollant. Agnoscendo deindè Deum in cœlo residere, seu dicendo: *qui es in cœlis*, debemus in terris nos considerare ut viatores et peregrinos, qui ad cœlestem patriam tendimus.

III. *Sanctificetur nomen tuum.* Cura boni filii tendere debet in augmentum gloriæ sui patris: idcirco in hac prima petitione quærimus, ut nomen Dei Patris nostri sanctificetur non in se, quia Deus infinitè sanctus est; adeòque nullum sanctitatis incrementum acquirere potest, sed, ut ait *S. Augustinus*, ut nomen ejus sanctum à nobis habeatur, quod fit, non solum Dei cognitione et nostris laudibus, quibus Dei sanctitatem prædicamus, sed et maximè vitæ innocentia et morum sanctitate.

IV. *Adveniat regnum tuum.* Ut præcedens petitio plenum sortiatur effectum, supplicamus ut Deus per gratiam regnet in cordibus nostris, vel melius secundum litteram, ut, post cursum hujus vitæ mortalis, ad regnum beatitudinis æternæ perveniamus, ubi, puro corde, accensâ charitate et absque ulla interruptione, sanctitatem divini nominis jugi laudis sacrificio extollemus.

V. *Fiat voluntas tua sicut in cælo et in terra,* non beneplaciti, quâ Deus *omnia quæcumque voluit, fecit*, sed tantum inefficax, quâ nimirum Deus vult mandata sua ab hominibus observari, et quorum observationem sub eorum libero arbitrio posuit. Petimus ergo, ut hæc Dei voluntas fiat ab hominibus, seu ut omnes mandatis divinis obtemperent. *Sicut in cælo et in terra*, id est, ut quemadmodum Angeli et electi omnes divinæ voluntatis motus exactissimè exequantur, ita homines gratiâ adjuti in terra easdem repleant.

VI. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Quidam per panem intelligunt corpus Christi, de quo scriptum est, (1) *Ego sum panis vivus.* Sed contrâ est hunc panem nondum fuisse institutum, quando Christus docuit homines orare *Pater noster.* Alii verò explicant de pane spirituali, seu de bonis operibus, oratione, jejunio, eleemosyna, etc. Verum, juxta sensum naturalem per panem intelligendus venit cibus corporalis, sub quo comprehenduntur potus et vestitus; adeoque panem petendo, petimus omnia necessaria ad victum et amictum. Addendo *nostrum*, panem petimus, non quemcumque, sed justè

(1) Joan. cap. 6.

acquisitum, quo citra ullam injustitiam erga proximum uti valeamus. *Quotidianum*, seu, juxta originalem textum, supersubstantialem, id est panem quo singulis diebus indigemus ad honestam corporis sustentationem, quare non petimus dapes superbas nec vestes opiparas, sed communes et necessarias; aliarum quippè requisitio divinæ providentiæ foret injuriosa, utpote procedens ex gula vel luxûs amore. *Da nobis hodie*. Quidam sub *hodie* totum vitæ cursum comprehendunt, sed meliùs sub eo intelligitur dies currens, idque insinuat Christus, orationi dominicæ adjiciens (1): *nolite esse solliciti in crastinum*, scilicet, prout ibidem declaratur, de cibo aut vestimento: undè præcisè supplicamus pro iis quæ quolibet die sunt nobis necessaria; hâcque limitatione Christus impedire vult nimiam in futurum sollicitudinem, quâ distractus homo in servitio Dei multùm impeditur.

Quamvis tamen per panem juxta sensum litteralem corporalis intelligatur, sensu tamen mystico fortè etiam à Sancto Spiritu intento intelligi potest panis spiritualis animæ.

Sed quomodo planè satiatus, sub vespera panem suum petere potest? Eâ ratione, quâ non sibi soli, sed et aliis petit. Eâdem ratione divites, qui habent bona posita in annos plurimos, hanc petitionem facere possunt. Imò etiam pro se orando, quatenùs ea quæ actu possident, alto Dei dominio subjiciuntur, quique potest subito divites dimittere inanes. Interim fatendum quòd hæc petitio non benè sonet in ore eorum

(1) *Matth.* cap. 6.

qui, ex amore terrenorum, vel diffidentia de futura Dei providentia, divitias congregant sine fine, quique iis pleni vix aut ne vix quidem sibi indulgent necessaria ad victum et amictum juxta sui conditionem.

VII. *Et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris.* Per debita peccata significantur, ut explicat S. Lucas cap. 11. Peccatorum igitur sive mortalium sive venialium remissionem, quoad culpam et poenam, flagitamus. Et cum nemo (exceptâ B. V. M.) sit liber ab omni prorsus peccato, omnes indistinctè, non solum pro aliis, sed pro se ad Deum hanc petitionem emittere possunt. *Sicut et nos dimittimus*, etc., his verbis declaratur conditio, sine qua nefas est sperare à Deo indulgentiam; lex quippè scripta est à Christo (1) quâ se obligat ad dimittendum dimittentibus, et ad non remittendum non remittentibus proximo: undè, ut quis fructuosè dicat *dimitte*, etc., debet animam purgare ab omni spiritu vindictæ, et corde sincero offensam proximo remittere, saltem quoad culpam; non enim semper quis tenetur damnum sibi illatum condonare.

Sed an non mentitur actualiter fratri iracundus dum dicit: *dimitte nobis...* *Sicut et nos dimittimus*? Equidem excusari potest à labe mendacii, si consideretur orans non nomine proprio, sed Ecclesiæ, in cujus gremio multi legem charitatis observant; et quorum respectu verba prædicta verificantur. Sed habetur dissonantia inter os et cor taliter orantis; sic ut videatur ludere

(1) *Matth.* cap. 6.

cum Deo, imò et proferre suù judicium et condemnationem; nam sic reddi potest sensus hujus orationis *dimitte nobis, sicut et nos, etc.*, non mihi dimittas, sicut non dimitto.

VIII. *Et ne nos inducas in tentationem.* Cautè hic legendum est verbum *inducas*, non enim importat Deum aliquando homines tentare ad peccatum; de eo quippè scriptum est (1): *Deus intentator, seu non tentator, malorum est, ipse autem neminem tentat.* Sed sensus est: ne sinas nos incidere in tentationem, in qua possemus à lege tua deficere; sicque unum ex his duobus petimus, vel ut Deus à tentatione nos liberet, vel si in tentationem, Deo permittente, inciderimus, ut sub illa nos sustineat, et victoriam tribuat.

Sed dices: si bonum sit homini ut non tentetur, quomodo David potuit quærere tentationem dicens (2): *Proba me, Deus, et tenta me?* Tentatio dupliciter sumi potest: 1.º Quatenus ad malum peccati inducit, et in hoc sensu non potest esse objectum desiderii, cum contineat periculum ipsius peccati, et ideò docuit nos Christus dicere *et ne nos inducas, etc.* 2.º Sumi potest, ut causa humiliationis, vel ut medium quo probetur fidelitas hominis erga Deum, aut ut argumentum novæ vigilantiae in nos, et sub his respectibus interdum in die fervoris particularis fidentes in divina protectione dicere possumus cum Davide: *proba me, Deus, et tenta me.*

IX. *Sed libera nos à malo. Amen.* In liturgia Græca his verbis additur: *quoniam tuum est regnum, et potestas, et gloria in sæcula.* Sed, cum hæc additio

(1) Jacobi 1.

(2) Psalmo 25.

non legatur in versionibus Latinis, nec etiam, testimonio plurimorum, in antiquissimis codicibus Græcis, nec etiam de illa faciant mentionem SS. *Hieronymus*, *Augustinus*, *Ambrosius* et *Cyprianus*, indè dici debet, eam ad textum sacrum non pertinere, sed piam esse additionem à Græcis inventam. Hærendo igitur in Vulgata, quam Ecclesia Latina sequitur, multi per malum, à quo hic petimus liberari, intelligunt ignorantiam et concupiscentiam, quibus peccato originali obvolvitur. Verùm conformiùs sensui litterali alii intelligunt omne malum, tum temporale, scilicet, morbos, afflictiones, et alias hujus vitæ infirmitates, quatenùs obsunt Dei servitio; tum spirituale, nempe peccatum, de quo maximè in hac petitione. Concluditur oratio dominica per *amen*. Hoc verbum non legitur in textu originali, nec in antiquis versionibus; adeòque è liturgiis, quibus fuit ab Ecclesia additum, transiit in Biblia.

ARTICULUS XXXVII.

De oratione, libera nos, etc.

I. Post orationem dominicam, celebrans accipit patenam, eamque purificatorio mundat, ut locus, in quem mox induci debet corpus Christi, ab omni pulvere, quoad fieri potest, sit nitidus. Deindè extra corporale super purificatorium illam manu dexterà tenet erectam, ac interea sinistram in altare deponit. 1.º Patena ponitur extra corporale, quia est unicè destinatum ad corpus Christi recipiendum, vel vasa actualiter continentia Species consecratas. 2.º Deponitur patena in purificato-

rium, et sustinetur erecta, et quidem sic ut pars concava respiciat medium altaris, ut celebrans, quando opus erit, paratam et proximè dispositam ad suï signationem habeat. Tandem deponit manum sinistram in corporale, ne sola indecenter hæreat in aëre.

II. His ita dispositis, incipit *libera nos*, etc., secretâ voce. *Devert* rationem hujus secreti desumit è missa solemni, in qua sacerdotes, audito responso, *sed libera nos à malo*, ab ore diaconi, prosequuntur, sic ut ratione cantûs, sub quo currit magna pars hujus orationis, vox alta impediatur et inutilis reddatur (1); hinc, inquit citatus auctor, cùm olim feriâ VI majoris hebdomadæ, oratio dominica simpliciter tono feriali sine notis diceretur, et eodem *libera nos à malo*, celebrans exspectabat finem responsi, qui citò veniebat, et prosequeretur eâdem voce clarâ orationem *libera nos*, prout nunc illo die adhuc practicatur. Huic rationi alia generalis addi potest, nempè quòd Ecclesia vocem altam adhibeat, dum oratio continet aliquam instructionem, ut in episola, et evangelio, vel populus ei respondere debet, ut in psalmo *Judica*, collectis, etc.; vocem autem secretam, quando tales desunt rationes, idque, ut hâc varietate populi devotionem acuat. In cursu hujus orationis dicens, *Maria*, caput more solito inclinât versùs librum. Ad-

(1) In Praxi celebrandi missam, t. 2. de missa solem. art. 4. n. 1. dicimus ministros non teneri ad respondendum celebranti, choro respondente, adeòque ruit hujus auctoris ratio, utpote laborans falso supposito. Interim cùm multi acceptionis causâ respondeant, indè dicti auctoris opinio fortè aliquid veri haurire potest.

dens autem, *da propitius pacem in diebus nostris*, appositâ manu sinistrâ ad corpus, et tali modo ut palma sursùm elevetur, ne casula tangatur cum pollice et indice, cum periculo quarundam particularum consecratarum, se signat cum patena in fronte, pectore et humeris. Ut hujus crucis ratio, quæ mystica est, capiatur, sciendum est patenam consecrari eo fine, ut supra eam fiat fractio Hostiæ, seu ut supra eam deponantur partes illius jam fractæ; id conspicitur in forma benedictionis patenæ: *oremus fratres dilectissimi, ut divinæ gratiæ benedictio consecret ac sanctificet patenam ad confringendum in ea corpus Domini nostri Jesu Christi; cùm autem Christus sit auctor pacis, ipse est, inquit Apostolus (1), pax nostra.... solvens inimicitias in carne sua,* meritò ab omnibus patena, quâ continens corpus ejusdem Christi, habetur ut pacis divinæ symbolum. Hoc posito celebrans dicens: *da propitius pacem in diebus nostris*, se tangit cum patena, ut non tantùm verbo, sed et facto externo innotescat ipsius pacis requisitio; et ut exprimat causam hujus pacis meritoriam, se tangit in modum crucis; scimus enim pacem venisse in mundum è ligno pretioso Christi sanguine resperso. Tandem in signum venerationis instrumenti, in quo venerandum Domini corpus quiescere debet, illud osculatur.

III. Post patenæ osculum, celebrans eam deponit in medio corporalis, ut commodius partes Hostiæ fractas mox in eam collocare valeat; et cùm Hostia ibi jaceat, præviè indice sinistro,

(1) Ephes. 2.

ad tactum Hostiæ inuncto , illam inducit desuper patenam , cujus extremitatem posteriorem multi locant supra pedem calicis , ut sic modicâ illius elevatione parcatur particulis fortè corporali hærentibus.

His ita dispositis , deponit è calice pallam , et statim Sacramentum genuflexione adorat. Erectus accipit Hostiam , eamque supra calicem frangit , primò in duas partes æquales dicens : *per eundem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum* , partemque , quam dexterâ tenet , sub ultimis verbis citatis locat super patenam : porrò hanc præ alia primò demittit , quia manu dexterâ mox aliquid detracturus est ex altera parte. Igitur dicens : *qui tecum vivit et regnat* , è parte inferiore alterius medietatis frangit parvam particulam ; addens autem *in unitate* , partem Hostiæ è manu sinistra demittit in patenam , sicque locat , ut Hostia appareat rotunda. Tum tenens sinistrâ calicem per manubrium ad majorem illius firmitatem , dicit clarâ voce , *per omnia sæcula sæculorum* , nempè ut populus respondeat *amen* , sicque approbet petita in oratione *libera* , cujus relata verba sunt conclusio. Postea , dicens : *pax Domini sit semper vobiscum* , tres cruces format cum particula Hostiæ super sanguinem , lineas cujuslibet crucis ducens à labio interiori ad labium interius calicis. Postea , ut responsum est , *et cum spiritu tuo* , particulam in sanguinem demittit sub his verbis : *hæc commixtio* , etc. , sub quibus etiam excutit super sanguinem pollices et indices à fragmentis , et dicens , *Jesu Christi* , caput Sacramento inclinat.

IV. Circa hos ritus, 1.^o Hostia frangitur, tum ad exemplum Christi, qui in ultima coena panem fregit antequam daret illum discipulis; tum ut celebrans et populus in fractione panis agnoscant Christum praesentem, prout agnoverunt duo discipuli in Emmaus; tum tandem ad facilitandam Hostiae sumptionem; integra quippe difficulter in os immitteretur. 2.^o Tres cruces formantur cum particula sub his verbis, *pax Domini*, etc., ad exprimendam causam meritoriam pacis quaesitae: sed quare tres cruces? Ad dictam causam melius menti imprimendam; vel juxta *Devert* (1) 'ideò ter hic signatur, quia olim tres cruces fiebant solummodò sub his verbis: *haec commixtio et consecratio*, etc., undè fuerunt adductae ad verba *pax Domini* absque ulla numeri immutatione. In missali tamen Ebroicensi (in Normannia) celebrans semel tantum hic signare potest pro suo libitu. Aliae rationes hujus trinæ crucis sunt purè spirituales. Juxta *Durandum* trinâ cruce significatur triduum mortis Christi; juxta *Innoc. III.* Resurrectio Christi facta die tertiâ. 3.^o Demittit Hostiae particulam in sanguinem. Hujus caeremoniae originem *Pouget* (2) et *Devert* (3) deducunt ex usu antiquissimo communionis sub utraque Specie, juxta quem, quando vinum consecratum deficiebat praè multitudine communicantium, assumebatur vinum non consecratum, in quod immittebatur particula Hostiae consecratae, ut sic vinum sanctificatum per com-

(1) Tom. 3. in rub. 185. in fine.

(2) In catechismo Montispessulanæo, tom. 14. p. 5. §. 2. n. 27.

(3) Tom. 3. cap. 8. in rubricam 184.

mixturem corporis Christi, sumeretur à fidelibus. Hujus vestigium superest in liturgia Romana, nempe sub officio feriæ VI majoris hebdomadæ. Indè, juxta citatos auctores, ritus immiscendi particulam Hostiæ cum vino consecrato; sed aliam non excludit, quæ tota moralis est; hæc enim commixtio fit, vel ut significetur eundem omninò, seu Christum, contineri sub quavis Specie consecrata, vel juxta *Innoc. III* (1), ut repræsentetur mysterium dominicæ Resurrectionis; dum enim particula immittitur in sanguinem, qui in calice quasi in sepulchro quiescit, imago pingitur Christi vivificationis in sepulchro: hæc ratio concordat cum sensu *Durandi*, qui ait trinâ cruce significari triduum mortis Christi; proindèque dum post tertiam crucem dimittitur particula, non tantùm significatur Resurrectio Christi, sed et tempus illius, nempe factam fuisse à morte die tertiâ.

V. Oratio *libera* est extensio ultimæ petitionis in oratione dominica, prout patebit ex illius explicatione. Incipit: *libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis præteritis, præsentibus et futuris*. Mala præterita sunt peccata quæ fecimus. Præsentia sunt pœnæ eorundem peccatorum, quæ manent post remissionem, vel etiam reatus, quo infici possunt aliqui ex adstantibus, ut affectus ad venialia, vitia ex lapsibus præteritis contracta, et afflictiones temporales, quibus fortè premimur. Futura tandem sunt tentationes, peccata et adversitates, quibus humana mortalitas est continuò exposita. Hæc omnia ultimâ

(1) Cap. 2.

petitione orationis dominicæ summatim comprehenduntur, sed hîc explicitùs exprimentur.

Et intercedente beatâ et gloriosâ semper virgine Mariâ, cum beatis apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitiùs pacem in diebus nostris: his verbis Ecclesia supplicat pro bono pacis, quod naturaliter consequitur immunitatem à malo præsertim peccati, et non fidens propriis meritis, ad illud donum pretiosum efficacius obtinendum, quærit potentes patronos apud Deum, in primis beatam Virginem Mariam, quæ auctorem pacis in utero gestavit, quæque mysterio reconciliationis humanæ præsens adfuit; deindè præcipuos apostolos, nempe duos Ecclesiæ principes Petrum et Paulum, atque S. Andream, qui primus à Christo ad apostolatam vocatus fuit, quique pacem illam mundo prædicaverunt; tandem generaliter omnes Sanctos qui pacem illam gustaverunt in diebus suis, et jam in æterna requiescunt. Ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et à peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi. Jam explicatur de qua pace sit sermo sub hac oratione, nempe de pace, tum mentis, tum corporis. Prima petitur his verbis: *à peccatis simus semper liberi*; secunda verò his aliis, *et ab omni perturbatione securi*: quamvis pax interna sit independens à perturbatione corporis et illius sensuum, et stare possit cum adversitatibus magnis et multis; attamen adversitates in corpore, quibus homo sæpè ita perturbatur, ut tandem à bonis moribus deprimatur, sic utramque pacem simul amittat, sunt verum malum non in se,

sed in effectu, à quo, attentâ infirmitate nostrâ, immunitatem quærere possumus.

Tandem concluditur hæc oratio more solito :
Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritûs sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.
 Antè pluries repetita de hac conclusione sufficientur ad illius intelligentiam.

Sequitur *pax*, non mundi, qui pacem non habet, nec consequenter dare potest, sed *Domini*; quæ exsuperat omnem sensum, et quâ donatus delicias cœli prægustat, *sit semper*, non hodie vel cras, sed toto cursu vitæ *vobiscum*. Huic faustæ precationi vices reddit populus respondens : *et sit pariter cum spiritu tuo*. Sed cum pacem petierit celebrans in oratione *libera*, cur denuò eam requirit? In prima oratione hoc donum postulavit votis secretis; in hac verò appreciatione publicâ, et cum tantum bonum sat instanter inquiri nequeat, in oratione præparatoria ad communionem rursùs exorat, ut Deus Ecclesiam suam pacificare dignetur, ac præterea in missa solemnè post hanc orationem osculatur altare, ubi Christus adest, et quasi pacem ab eo accipiens, illam communicat diacono his verbis *pax tecum*, et hic iisdem universo clero : in hac autem multiplicata pacis petitione nulla implicantia; si enim Christus post resurrectionem apparens apostolis, non semel, sed iterùm dixerit eis : *pax vobis*, non votis duplicatis illam petere possemus?

Subsequitur : *hæc Commixtio et Consecratio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat accipientibus nobis in vitam æternam. Amen.* Prima verba, ut sensum legitimum referant, sumenda

sunt, non in abstracto prout sonant, sed in concreto, quasi diceretur: hoc commixtum, et consecratum fiat, etc., quo sensu dixit *S. Laurentius ad Xystum* (1); *experire utrùm idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis consecrationem*, id est, vinum consecratum fidelibus distribuendum. In pluribus Gallicanis missalibus, juxta *Pouget*, deest consecratio ad tollendam hujus verbi æquivocationem; nam sumpta in abstracto involvit falsitatem, cùm sub hoc ritu nulla fiat Specierum transsubstantiatio. *Bellarminus* in hanc orationem scribens, sic illius reddit sensum: hæc commixtio, et consecratio non præsens, sed facta fiat nobis accipientibus, seu communicantibus in vitam æternam.

Dicitur in plurali *fiat nobis*, quia accidere potest, quòd Hostiæ parvæ consecrentur, è quibus infra missam communicent fideles, et tunc plenum sensum habent dicta verba. Hæc praxis olim erat communior et indè hic numerus pluralis. Quando autem solus celebrans communicat, nihil obest quominus *nobis* sumatur pro *mihi*, uti in formulis superiorum sumitur *statuimus* pro *statuo*. Aliundè licèt solus celebrans realiter communicet, adstantes saltem spiritualiter sumunt corpus et sanguinem Christi, quod satis est, ut in plurali verificentur citata verba.

VI. Oratio *libera nos*, etc., non invenitur in ordine missæ Romanæ apud *Illyricum*, sed de ea fit mentio in primo ordine Romano (2). In IV inquitur arbitrio Pontificis celebrantis post hæc

(1) Sic *S. Ambrosius*, lib. 1. offic. *S. Laurentium* cum *Xysto* colloquentem inducit.

(2) Num. 18.

verba *atque Andrea*, quales et quot Sanctos voluerit nominatim commemorandi. In nonnullis autem sacramentariis, nomina quorundam Sanctorum specificantur hic exprimenda, notanter in sacramentario Gregoriano (1) post *Andream*, apponuntur *Dionysius*, *Rusticus*, *Eleutherius*, et *Cloaldus*. In Theodoricensi *Stephanus*, *Quintinus*, *Nicasius*, *Gregorius*, *Medardus*, et *Eligius*. Sacramentarium *Menardi* habet tantum *S. Stephanum*. Hæc praxis viguit usque in sæculum XI; nam de illa sic habet *Myrologus* (2): Post nomen *Andree* ad orationem *libera nos*, licere celebranti nominare quotquot Sanctos voluerit. *Durandus* autem, qui scripsit sæculo XIII, mentionem facit tantum B. M. V., *SS. Petri, Pauli*, et *Andree*; adeoque argumentum est licentiam aliquid addendi sub hac oratione pro majori Ecclesiarum uniformitate fuisse tunc resecatam.

Ritus frangendi Hostiam est tam antiquus quam sacrificium; Christum enim in ultima cœna panem fregisse legitur; idem fregit coram discipulis in Emmaus; fregerunt postea apostoli, prout meminit Scriptura, (3) et deinde continuo usu Ecclesia idem practicavit, uti evincitur ex vetustissimis libris et auctoribus, qui omnes de divisione Hostiæ sub sacrificio loquuntur: porrò hæc Hostiæ divisio fit, et semper facta est, non secatione cum cultro vel alio instrumento, quamvis hic modus decentior videatur, sed manibus,

(1) In operibus *S. Gregorii*, editionis Parisiensis, anno 1705. tom. 4. pag. 4.

(2) Cap. 15.

(3) Act. apost., cap. 2. et I. ad Corint., c. 10.

ut Ecclesia tenaciùs hæreret Christi et apostolorum vestigiis.

Fractio Hostiæ variationes olim passa est, et quasdam nunc in liturgiis patitur. Juxta ritum Mozarabicum dividitur primò in duas partes æquales, deindè una ex his in quatuor, et altera in quinque, ac consequenter in novem partes, quarum singulis nomen alicujus mysterii imponitur, sicque in modum crucis disponuntur in altari:

- | | | |
|----------------|-----------------|-----------------------------|
| 1. Incarnatio. | 3. Circumcisio. | 7. Resurrectio. |
| 2. Nativitas. | 4. Apparitio. | 8. Gloria Christi in Coelo. |
| | 5. Passio. | 9. Jesu Christi regnum. |
| | 6. Mors. | |

Porrò hoc ritu innuitur sub sacrificio missæ, omnia Christi mysteria simul recoli.

Græci, ut videre est in eorum libris, Hostiam dividunt in quatuor partes, quarum una immititur in calicem, alteram sumit celebrans, tertiam subdividit in communionem populi, et quartam infirmis reservat.

Juxta mores Romanos, olim Hostia frangebatur primò in tres partes. Una ex illis demittebatur in calicem: alteram sibi, diacono et subdiacono in communionem frangebatur: tertia autem reservabatur infirmis, si opus esset, aliàs celebrans ipsam consumebat; ita *Joannes* episcopus Abrincensis (1), qui sæculo XI scribebat. Hujus memoriale quoddam cernitur in missa Pontificali, sub qua Pontifex partem Hostiæ immittit in sanguinem, alteram sumit, et tertiam bipartitam distribuit diacono et subdiacono ministrantibus.

(1) De officio, p. 25.

Idem quoque videtur in consecratione episcopi; consecrans enim, immissâ Hostiæ particulâ in vinum, alteram sumit et tertiâ communicat neopiscopum. Quando autem celebrans sibi soli totam sacrificii Hostiam reservaverit, non constat, præsertim cùm id non simul et semel evenerit. Interim certum videtur id accidisse duplici ex causa: 1.º Ex diminutione fervoris in fidelibus erga communionem. 2.º Et maximè ex multiplicatione missarum privatarum; porrò missæ privatæ multiplicari cœperunt sæculo VIII et IX, prout patet ex variis capitularibus *Caroli Magni*, et decretis episcoporum illius temporis, quibus modus missis privatis imponebatur. Sæculo tamen XI fideles adhuc ex Hostia sacrificii reficiebantur, sed, ut refert citatus auctor, quando opus erat, id est, quando intrâ missam aliquis ad communionem accedebat. Verùm ab illo tempore multiplicatis admodum sacerdotibus, altaribus et missis privatis, usus communicandi ex ipsa sacrificii Hostia totaliter desiit respectu fidelium; sic ut sæculo XIII *Durandus*, de ritu moderno, quo solus sacerdos Species à se consecratas consumit, loquatur (1) tamquam de ritu vigente in omni Ecclesia Latina. Communioni autem fidelium et infirmorum provisum est consecratione Specierum minorum, quæ in ciborio semper ad manum conservantur (2).

Apprecatio pacis, quæ fit his verbis: *pax Domini sit semper vobiscum*, invenitur in missa *Illyrici*,

(1) Lib. 4. cap. 51. n. 1. et seq.

(2) Urgente casu necessitatis communicandi infirmum, nihil impedit, quominus, deficientibus Hostiis consecratis hodie dum in ipsius viaticum reservetur particula ex oblato sacrificio.

sed aliis verbis, nempe: *habete vinculum pacis et unitatis*, sicut in codice *Flori* (1), qui diaconus vivebat sæculo IX, ac in antiquissimo ordine Romano, nimirum I. Pariter oratio subsequens: *hæc commixtio* citatur ab *Illyrico* et legitur in ordine Romano I; deest tamen in aliquibus sacramentariis antiquis, ut videre est apud *Georgi* (2). Imò in quibusdam Ecclesiis Gallicanis locum non habebat, prout colligitur ex missa Carthusianorum, quæ formata fuit ritibus Gallicanis, et quæ præsentem orationem non includit.

Commixtio sacrarum Specierum vetustissimarum liturgiæ et antiquissimorum conciliorum auctoritate commendatur; illam quippè habet liturgia *S. Jacobi*, item concilium Arausicanum anni 441. Verùm hic ritus admodum variat in libris antiquis. Olim Romæ duæ Specierum commixtiones fiebant, et quidem prima post *Pax Domini sit semper vobiscum* cum parte Hostiæ præconsecratæ. Hoc ut melius capiatur, sciendum est, quòd olim Pontifex ad suburbicarios episcopos particulam Hostiæ à se consecratæ mitteret, unamque sibi reservaret in subsequens sacrificium. Hæc particula ad altare deferebatur ante missam, adorabatur à celebrante, et post dicta verba injiciebatur in sanguinem. Hæc Hostiæ pars vocatur ab auctoribus et in libris antiquis *Eulogia*, seu panis benedictus, et etiam *fermentum*, quia mittebatur in signum unionis, et ad nutriendam charitatem mutuam; miscebatur autem cum sanguine in professionem quòd idem

(1) Num. 214.

(2) Tom. 3. pap. lviii.

sit sacrificium omnium dierum et locorum, et fortè etiam ratione naturali; cùm enim tunc temporis panes essent crassiores, pars ex iis fracta spatio aliquot dierum multùm indurari poterat; adeòque immittebatur in vinum consecratum, ut indè emollita faciliùs et decentiùs sumeretur. Hujus commixtionis mentionem faciunt ordines Romani I et II (1). Præterea Hostiæ sacrificii particula in eundem calicem immittebatur, prout patet ex iisdem ordinibus locis suprâ citatis, in quibus sequens ritus præscribitur; innuit, inquit, Pontifex, ut cantetur *Agnus Dei, tum de ipsa sancta, Hostia, quam momorderit* in sui communionem *ponit... in calicem faciens crucem ter dicendo: fiat commixtio.*

Indè, referente *Grancolas* (2), non immittunt partem Hostiæ in vinum consecratum, sed Hostiam dividunt in duas partes; unius partis medietatem intingunt sacro Christi cruore; deindè cum parte intincta signum crucis formant in alteram, et utramque postea simul uniunt in communionem.

Tandem ritus Ecclesiæ Latinæ generaliter habet, ut Hostia dividatur in tres partes, quarum una immittitur in sanguinem. Nec hic ritus novæ est institutionis; siquidem de eo loquatur *Illyricus*. Reperitur præterea in missali Vaticano sæculi XI, apud *Durandum*, et in ordine Romano XIV.

VII. Superest, ut verbum addatur de benedictione quæ olim dabatur populo ante com-

(1) I. num 18. et 19. II. num. 12. et 15.

(2) *Antiquarum liturg. seu de modo celeb. miss. tit. de fractione Hostiæ, etc.*

munionem. De illa sic legitur in ordine Romano VI (1) : Dicente episcopo *per omnia sæcula sæculorum* post orationem *libera nos*, archidiaconus ad populum conversus intonabat : *humiliate vos ad benedictionem*, cui clerus respondebat *Deo gratias*; tum episcopus antequam diceret *pax Domini*, etc., se ad populum vertebat, et cantatis quibusdam versibus benedicebat populo. Hic ritus juxta mores Romanos ad solos episcopos pertinebat; retentusque est in nonnullis Ecclesiis, notanter, in Ecclesia Leodiensi, ubi episcopus solemnia missarum faciens, antequam dicat *pax Domini*, et præviâ hâc invitatione à diacono, *humiliate vos*, etc., conversus ad chorum cantat aliquot versus, et deindè dat benedictionem sub hac forma : *et benedictio Dei omnipotentis Pa ✠ tris, et Fi ✠ lii, et Spi ✠ ritus sancti descendat super vos, et maneat semper*. Juxta ritum Mozarabicum hæc benedictio non tantùm fiebat in missa episcopali, sed in omni quæ celebrabatur, etiam privata; hicque ritus, juxta *Mabillon* (2), ex Hispaniis olim transiverat in nonnullas Ecclesias Gallicanas, in quibus simplices sacerdotes populo benedicebant ante communionem. Hujus benedictionis sequentem rationem reddit citatus auctor, quia ante communionem, licebat iis qui non communicabant, exire perceptâ benedictione, censebaturque, ut refert *Gregorius Turonensis* (3), missa tunc completa : undè, teste *S. Gregorio Magno* (4), diaconus licentiam faciebat non communican-

(1) Num. 11. et 12.

(2) De liturgiis Gallicanis, lib. 1. cap. 4. n. 13. et 14.

(3) Lib. 2. de miraculis *S. Martini*, cap. 47.

(4) In dialogis, lib. 2. cap. 23.

tibus discedendi his verbis : *si quis non communicat, det locum*, quibus non tantum remittebat pœnitentes, sed alios fideles. Quæ ulteriùs spectant ad hanc benedictionem quæ nunc in fine missæ datur, suo loco dicemus.

ARTICULUS XXXVIII.

De oratione, Agnus Dei.

I. DEJECTA in sanguinem particulâ, celebrans excutit digitos in calicem, ut eos ab omni Hostiæ fragmento purget. Tum sanguinem Christi pallâ coöperit, ne quid cadat in illum, ac postea Sacramentum genuflexione adorat. Erectus, manibus junctis, et inclinato capite, dicit altâ voce : *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*; ac mox depositâ in corporale sinistrâ, pectus percutit addens : *miserere nobis* : hæcque percussio pectoris renovatur sub secundo *miserere nobis*, et dum dicitur : *da nobis pacem*, 1.º Hæc oratio fit altâ voce, ut simul oret populus, qui in ea comprehenditur. 2.º Sub initio hujus orationis manus jungit, eamque absolvit inclinato capite; cum enim in ea Deo supplicet, rectè sub illa statum assumit supplicantis junctione manuum et capitis inclinatione. 3.º Dicens *miserere nobis*, pectus percutit in signum compunctionis tum externæ, tum præsertim internæ, sine qua nefas est sperare à Deo misericordiam. Sed ad quid percussio sub *dona nobis pacem*? quia olim ter dicebatur *miserere nobis*, prout etiam nunc in Ecclesia Lateranensi : hac super re sic habet *Durandus*, scri-

ptor sæculi XIII (1) : *secundum antiquam consuetudinem... Ecclesia etiam Lateranensis nunquam dicit dona nobis pacem, sicut nec schola cantorum: idem servabatur in aliis Ecclesiis feriâ V in cœna Domini, teste eodem Durando ibidem, et profectò, quia illo die pax non datur infra missam. Hunc ritum ob eandem rationem in missa dictæ feriæ V retinuit Ecclesia Leodiensis. Porrò consuetudo dicendi ter miserere nobis durasse videtur usque ad sæculum XI, uti colligitur ex missalibus anterioris ætatis, ultimumque miserere versum fuit, si eidem Durando credatur, in dona nobis panem ob varias ingruentes Ecclesiæ calamitates. Præterea si percussio pectoris sub dona nobis pacem in se spectetur absque ullo respectu ad usum veterem, nullam involvit absurditatem, cum cordis compunctio sit optima dispositio ad pacem obtinendam.*

In missis de *requiem*, celebrans pectus non tundit, et loco *miserere nobis*, dicit *dona eis requiem*, ultimo addens *sempiternam*, quo ostendit se vivorum immemorem, ut succurrat animabus in purgatorio patientibus, ad quas orationem præsentem convertit.

II. Christus in hac oratione *Agnus Dei* dicitur, et hæc denominatio è sacris Paginis deprompta est; *Isaias* enim ait de illo (2); *emitte Agnum, Domine*, etc., et in *Apocalypsi* (3) dicitur *Agnus qui occisus est ab origine mundi*. Itidem *Joannes Baptista* eundem Christum demonstrans, dixit (4) :

(1) Lib. 4 cap. 52. n. 5.

(2) Cap. 6.

(3) Cap. 13.

(4) Joan., cap. 1. §. 29.

Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi: at præsertim hîc Christus dicitur Agnus ab agno Paschali, qui quotannis immolabatur à Judæis, et quo Christus, morsque illius, quâ mundum à peccatis redemit, figurabantur: porrò Christus potius Agni nomine vocatur, quàm aliorum animalium, quæ etiam sub veteri Testamento sacrificabantur, ob illius mansuetudinem; ita ut sub nomine Agni sacerdos et adstantes magnam fiduciam divinæ misericordiæ obtinendæ concipere debeant. *Qui tollis peccata mundi*. His verbis Christus expressè designatur, qui cruento sui sacrificio Patri obtulit stipendium omnium mundi peccatorum. *Miserere nobis*; hæc verba, juxta *Innoc. III.* (1), 1.º proferuntur quantum ad animam, nempe, ut à malis internis liberemur. 2.º Repetitur quantum ad corpus, ut à malis externis simus liberi. 3.º Additur: *dona nobis pacem propter utrumque, ut habeamus pacem cordis spiritualem, et pacem corporis temporalem.*

III. Communissimè (2) insertio hujus orationis in sacram liturgiam tribuitur *Sergio I* qui elevatus fuit ad pontificatum anno 687; at observat *Mabillon* (3) circa sacrorum rituum antiquitatem perspicacissimus, in sacramentario Gregoriano assignari ad missas *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi*, et ita sanè prostat in sacramentariis ex editione *Pamelii*; quare censet citatus *Mabillon* ante *Sergii* tempora *Agnus Dei* fuisse cantatum à solis cantoribus: deinde à dicto Pontifice consti-

(1) Lib. 6. cap. 4.

(2) Ita *Anastasius, Amalarius, Walafrius*, etc.

(3) Comment. in ord. Rom., cap. 8. n. 7. pag. 54. et 55.

tutum fuisse ut à choro et clero simul decantaretur, prout habet liber Pontificalis (1) in vita *Sergii* his verbis: *hìc statuit, ut tempore confractionis Domini corporis, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, à clero et populo decantetur.* Hæc tamen dispositio quoad omnia effectum non habuit; nam in ordinibus Romanis I (2), II (3), III (4), et V (5), *Agnus Dei* præscribitur cantandum à schola seu clero, nullâ factâ populi mentione.

IV. Numerus *Agnus Dei* non semper fuit uniformis in sacris liturgiis: in decreto *Sergii*, simpliciter enuntiatur *Agnus Dei* cantandum: adeoque semel. In ordinibus Romanis suprâ memoratis innuitur repetendum, et in II id apertis verbis præscribitur: *quod tandiù cantatur, usque dum complent fractionem.* Undè bis, ter vel pluries repetebatur pro tempore quo fractio durabat. *Joannes Abricensis* testatur sub sæculo XI bis fuisse cantatum: *choro*, inquit, *Agnus bis repente.* Trinæ verò repetitionis mentionem facit *Beleth* (6) sub sæculo XII. Idem constat ex variis missalibus ejusdem sæculi, et notanter ex uno manuscripto sæculi XII Ecclesiæ Cameraensis, et ex altero ætatis ejusdem scripto Aquisgrani. Primitùs celebrans *Agnus Dei* non dicebat, sed solùm à choro cantabatur; quando autem transierit in os ipsius celebrantis, non ita

(1) Cap. 14.

(2) Num. 19.

(3) Num. 13.

(4) Num. 16.

(5) Num. 11.

(6) Cap. 48.

Tom. IV.

exactè potest determinari. Respectu Pontificis id tantùm evenisse circa sæculum XIV conjicitur ex ordine Romano XIV, ubi (1) insinuatur Pontificem cum cardinali sibi assistente junctis manibus dicere *Agnus Dei* ter. Verùm respectu aliorum id citiùs accidisse patet ex *Beleth* et missilibus suprà relatis. Locus etiam hujus orationis olim variavit; nam juxta *Georgi* (2), in missis ritu Gallicano celebratis dicebatur aliquando post consecrationem, interdùm in precatione super munera, id est, ante præfationem. In missali Romano manuscripto, quod fert datam anni 1158, lego unum *Agnus Dei*, deindè unicam orationem præparatoriam ad communionem, nempe: *Domine Jesu Christe, Fili, etc.*, et postea duo *Agnus Dei*, primum cum *miserere nobis*, et aliud cum *dona nobis pacem*. Verùm sæculo sequenti tria *Agnus Dei* leguntur unita apud *Durandum* (3), et recitata ante orationes præparatorias ad communionem; quod sæculo XIV videtur confirmatum in ordine Romano XIV.

ARTICULUS XXXIX.

De tribus orationibus ante communionem.

I. Post *Agnus Dei*, sacerdos manus junctas deponit in altare, quo se unit Christo per altare figurato, ostendens indè desiderium unionis realis cum eodem per communionem, incli-

(1) Num. 55.

(2) Tom. 5. lib. 4. cap. 15. p. 155.

(3) Lib. 4. cap. 52.

natque corpus mediocriter, quia situs humilis decet hominem ad perceptionem tanti mysterii se præparantem; orationes autem in illo situ absolvit voce secretâ, quia pro se orat, maximè in duabus postremis, quæ nunquam prætermittuntur. Prima quippè in missis de *requiem* non dicitur, et hoc, quia olim tales non erant solemnes, sed omnes privatæ; pax autem, de qua in hac oratione, non dabatur, nisi in solemnibus, ita *Albaspinaeus* (1). Exceptionem tamen huic regulæ ponit *Merati* ex rubricis missalis Romani (2), tradens in missis privatis eam dari posse prælatis et aliis personis in dignitate constitutis. Alia hujus omissionis in missis de *requiem* causa est quòd hæc oratione pax quæretur Ecclesiæ militanti, quam in quibusdam hujus missæ locis liturgia negligit, ut celebrans videatur magis intentus saluti defunctorum. Aliundè, juxta *Durandum* (3), donum pacis in missis solemnibus, et aliquando ex dictis in privatis, est signum lætitiæ, quod cum ritu lugubri missarum de *requiem* non quadrat.

II. Prima oratio sic habet: *Domine Jesu Christe, qui dixisti apostolis tuis: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiæ tuæ: eamque secundum voluntatem tuam pacificare, et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.* Celebrans pro Ecclesia donum pacis petiturus, et timens ne sua indignitas fructui orationis obsit, supplicat ut Deus non respiciat peccata sua, scilicet

(1) De veteri ritu, lib. 1. Obs. 17.

(2) Rit. celebr., tit. 10. n. 3.

(3) Lib. 4. cap. 53.

præterita, præsentia et fortè futura, sed fidem sponsæ Ecclesiæ, quæ ei grata semper existit, non modò ob fidei firmitatem, sed et ob illius puritatem et sanctitatem, supplicat, inquam, ut ad decorem sponsæ Ecclesiæ solùm attendens eam pacificare dignetur in hoc sæculo, et coadunare in futuro vinculo pacis perpetuæ.

III. Occasione pacis, quæ hic datur, in missis sòlemnibus, et interdùm in privatis, dicendum occurrit de illius ritu et origine. Usus dandi pacem ante communionem assumptus est ab exemplo Christi, qui in ultima cœna antequam apostolis daret corpus et sanguinem suum, priùs dedit eis pacem suam, dicens : *pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis*. Hoc exemplum resumitur in oratione suprà posita : *Domine.... qui dixisti : pacem relinquo vobis*, etc. et indè Ecclesia donum pacis faciens filiis suis ante perceptionem Eucharistiæ, intendit ab exemplo Christi charitatis et pacis vinculo animas eorum unire, ut cum fructu percipiant communionem, sive realem, sive spirituale tantùm.

Tempore apostolorum, fideles in signum pacis sese mutuò osculabantur juxta illud Apostoli (1), *salutate invicem in osculo sancto*, super quo observat *Fromondus* scribens in hunc locum, quòd ad tollendum omne libidinis periculum viri solos viros, et feminae solas feminas oscularentur; ideoque ad unam Ecclesiæ partem viri omnes, ad alteram feminae se sistebant. Hicque usus adhuc vigeat sæculo XII : de eo quippè loquitur *Innoc. III*, qui ad Pontificatum fuit eve-

(1) IV ad Corinth., cap. 16.

ctus anno 1198. et *Durandus* (1), qui sæculo XIII floruit. Dominicani hunc ritum osculi perduxerunt usque ad sæculum XVI, et pariter alii, juxta *Lebrun*, qui usum Romanum sequebantur: sed hæc assertio restringi debet ad quasdam Ecclesias; nam constat ex synodo Exoniensi habita anno 1287 (2), et aliis quibusdam, ante illud tempus adhibitum fuisse instrumentum ad dandam pacem. Igitur frigescente charitate et morum puritate; ad præcavenda varia inconvenientia, data fuit pax cum instrumento: hanc praxim nunc habent Carthusiani et Dominicani, aliique nonnulli Religiosi, et Ecclesiæ particulares; imò ritu Romano, quando pax datur in missa privata, id fieri debet instrumento (3). Verùm sub missa solemnibus aliud præscribitur, et in primis si sermo sit de missa episcopali cærem. episc. (4) statuit ut episcopus et ab eo recipiens pacem genas sinistras ad invicem admoveant leviter se tangentes; adeoque tunc pax datur per osculum juxta primævam praxim. In missali verò Rom. (5) præscribitur ut in missis solemnibus, quæ ab aliis celebrantur, dans pacem et eam recipiens se complectantur, et genas sinistras sibi invicem appropinquent; adeoque

(1) Lib. 4. cap. 53.

(2) Cap. 12. conc. tom. II. pag. 1278.

(3) Miss. Rom., de ritu celeb. miss., tit. 1. n. 3. Instrumentum autem quo pax datur, est tabella aurea vel argentea, cui imago sacra insculpta est. Vocatur ab auctoribus et conciliis *pax*, *asser ad pacem*, *tabula pacis*, *marmor*, *lapis pacis*, et *osculatorium*.

(4) Lib. 2. cap. 8.

(5) Ritus celeb. miss., tit. 10. n. 8.

sine tactu reali : undè sub hoc ritu species tantùm osculi exhibetur (1).

Olim celebrans, antequam pacem daret, osculabatur Hostiam quasi à Christo pacem accipiens : hujus osculi meminit *Beleth* (2); de eodem loquuntur omnia missalia Parisiensis Ecclesiæ impressa usque ad annum 1615, et alia multa, quæ citat *Lebrun* (3). Verum hic usus, utpote minùs reverens erga tantum Sacramentum, meritò fuit abrogatus, incepitque illius abrogatio in nonnullis locis ante sæculum XII; nam *Beleth*, loco suprà citato, tradit in quibusdam Ecclesiis pacem acceptam fuisse à sepulchro vel altari, prout nunc habet ritus Romanus : porrò cùm altare Christum repræsentet, celebrans illud osculans, censetur à Christo pacem accipere, quam aliis daturus est. In nonnullis locis, manente eadem osculi ratione, variatur objectum illius : Dominicani quippè osculantur calicem, Carmelitæ calicem etiam et insuper corporale vel pallam. Alii olim osculabantur missale, quatenus continet verbum Christi, et consequenter Christum ipsum repræsentat : hujus praxis fidem faciunt multa antiqua missalia (4). Verùm ex-

(1) Nonnulli, inter quos *Merati*, tom. 1. p. 2. tit. 10. n. 44. et *Cavalieri*, tom. 5. cap. 22. n. 15. tenent, idque profectò è missa Pontificali, genus mutuò in collatione pacis physicè, sed leviter esse tangendas. Verùm cùm id non importet missale Romanum suprà citatum, diximus in nostra Praxi celebrandi missam, tom. 2. art. 5. n. 4. cum *Hermannò Janssens*, tom. 2. tit. 10. n. 154. et cæremoniali monastico, lib. 2. cap. 5. n. 14. pacem dandam esse sine tactu physico generum, huicque consonat usus generalis; saltem in his partibus.

(2) Cap. 48.

(3) Explic. Cær. Miss., p. 5. art. 7. §. 2.

(4) Missale Ecclesiæ Coloniensis anni 1509, Monasteriensis.

ceptis Dominicanis et Carmelitis, de quibus supra, omnes passim, quoad osculum altaris, rubricam missalis Romani sequuntur.

IV. Secunda oratio sic concipitur: *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, coöperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc sacrosanctum corpus et sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis, et fac me tuis semper inhærere mandatis, et à te nunquam separari permittas: qui cum eodem Deo Patre, et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.* In principio hujus orationis agnoscitur redemptionem humanam non esse opus solius Filii, sed et Patris et Spiritûs sancti; et reverà scimus Patrem misisse Filium suum in terram, eum induisse carne humanâ et mortali, eumque ad mortem damnasse: undè de Filio legitur, quòd fuerit obediens Patri suo usque ad mortem, et mortem crucis; Sanctus verò Spiritus formavit ejusdem Christi corpus ex purissimo beatæ Mariæ Virginis sanguine. Deindè celebrans tria sibi petit: 1.º Liberari ab omnibus suis peccatis quoad reatum et pœnam, simul et ab universis malis, sive spiritualibus, sive corporalibus, quibus denuò posset induci in peccatum. 2.º Gratiam inhærendi Dei mandatis, seu exactè illa observandi. 3.º Perseverantiam in finem his verbis: *et à te nunquam separari permittas.*

V. Tertia oratio stat his verbis: *perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium et*

anni 1520, Aquisgrani sæculi XIV et XV; et aliud Trevirensis Ecclesiæ, in quo ponitur osculum corporalis et libri.

condemnationem; sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen. Sacerdos perterritus effectu sacrilegæ communionis, de quo Apostolus (1), qui manducat et bibit indignè, iudicium sibi manducat et bibit, non dijudicans corpus Domini, orat ad avertendum à se sortem illam infelicissimam: perceptio, inquit corporis tui... non mihi proveniat in iudicium et condemnationem. Equidem celebrans accedens ad altare, bonæ conscientiæ testimonium habere tenetur, sed tale testimonium formidinem compatitur, quâ David agitatus dicebat (2): ab occultis meis munda me, et ab alienis parce servo tuo. Et Apostolus (3): nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum etc., adeoque nihil obest, quominus celebrans ut suprâ oret. Prosequitur deindè, et petit sibi conferri fructus pretiosos Sacramenti. Sed, ait, pro tua pietate, seu misericordia prosit mihi ad tutamentum mentis, id est, inserviat ad tutandam mentem contra pravos affectus, et corporis, extinguendo, vel saltem mitigando ardorem concupiscentiæ, aliorumque vitiorum, et ad medelam percipiendam vulneribus quæ manent ex peccatis præteritis, et quibus homo pellitur ad nova committenda.

VI. Hæ tres orationes communionem præcedentes leguntur in missa *Illyrici*. Primæ et secundæ tantum fit mentio in sacramentario Gregoriano sæculi XII. Secunda tantum refertur in

(1) I ad Corinth., cap. 11.

(2) Psalmô 18.

(3) I. ad Corinth., cap. 4. §. 4.

missali Romano anni 1158 citato in fine articuli præcedentis; hancque solam legunt Carthusiani et Dominicani; quorum primi nati sunt circa finem XI sæculi; alii verò circa initium XIII: cum autem suos ritus hauserint è Galliis, indè sequitur primam et tertiam orationem in Ecclesiis Galliæ, saltem omnibus, nondum fuisse receptas. *Micrologus*, qui floruit circa sæculum XII, de hac secunda oratione solùm etiam loquitur (1). Juvat ipsius verba referre: *Orationem, inquit, quam inclinati dicimus antequam communicemus, non ex ordine, sed ex Religiosorum traditione habemus, scilicet hanc: Domine Jesu Christe, qui ex voluntate Patris, etc.* Ex his liquet has orationes non simul et semel, sed sensim fuisse inductas in liturgiam Romanam. Primò igitur, ex *Micrologo*, eas invenit pietas particularis Religiosorum; undè inferri potest quòd lex de nihil addendo vel minuendo in celebratione missarum, non ita strictè ligaret uti jam post decretum *Pii V.* Ex ore Religiosorum paulatim transierunt in libros liturgicos, donec tandem sub sæculo XIII partem fecerint liturgiæ nostræ: de iis enim mentionem, licèt non omninò distinctam, facit *Durandus*: agens quippè de missis defunctorum (2) dicit: in iis omitti primam orationem: *Domine Jesu Christe, qui dixisti*; postea autem (3) tractans de aliis missis, ait: *quòd sacerdos ante perceptionem corporis et sanguinis Christi debet dicere orationes à sanctis Patribus institutas*; adeoque primam de

(1) Cap. 18.

(2) Lib. 4. cap. 53. n. 8.

(3) Lib. 4. cap. 54. n. 10.

qua ipsemet suprà et consequenter duas sequentes. Interim tres illæ orationes eo ordine, quo jam leguntur, mox sæculo sequenti inveniuntur in ordine Romano XIV, et deindè in omnibus libris manualibus ritûs Romani.

ARTICULUS XL.

De communione celebrantis.

I. ABSOLUTIS orationibus, de quibus suprà, celebrans manibus tractaturus Sacramentum, illudque sumpturus, coram eo genuflectit, seque erigens, dicit secretò: *panem cœlestem accipiam et nomen Domini invocabo*. Hæc verba sunt animæ exultantis, et multum desiderantis; sacerdos ergo considerans convivii Eucharistici pinguedinem et excellentiam, in quo ipsi offeruntur dapes corporis et sanguinis Christi, præ gaudio exclamat: *panem*, non terrenum, sed *cœlestem*, cibum Angelorum *accipiam*, et intimè Christo unitus perceptione ipsius Sacramenti *nomen Domini invocabo*, id est vocabo in me nomen Domini, seu ipsum Dominum meum, ut sit illuminatio mea, salus mea, et vita animæ meæ. *Quid est invocare*, inquit S. Augustinus, *nisi in se vocare*. Hanc orationem variasse videtur usque in sæculum XIII; nam in aliquibus missalibus antiquis, nempè in uno Aquisgrani manuscripto sæculi XII, in alio Templariorum ejusdem circiter ætatis, et in quadam Ecclesiæ Cameracensis sæculi XIII, loco prædictæ orationis habetur; *ave in ævum, sanctissima caro, mea in perpetuum summa dulcedo*: huic ferè similem retinuerunt Carmelitæ, dicen-

les : *salve, salus mundi, Verbum Patris, Hostia sacra, viva caro, Deitas integra, verus homo.* Nostra tamen simul erat in usu sæculo XII, eam referente *Micrologo* (1), tandemque adoptata invenitur sæculo XIV, in ordine Romano XIV.

II. Celebrans erectus à genuflexione accipit Hostiam inter pollicem et indicem manûs sinistrae ad libertatem dexteræ, quâ mox pectus tundere debet; supponitque Hostiæ patenam, ut fragmenta Hostiæ in illam decidant, ac tenet manum sinistram paululùm ab altari elevatam, ne attrahat particulas fortè in corporali ex Hostia residuas. Tum corpore mediocriter incurvatus ob præsentiam divinæ Majestatis, coram qua confessurus est suam indignitatem, ter tundit pectus tribus extremis digitis, et ita cautè, ut pollice et indice non attingat casulam ob periculum Hostiæ fragmentorum; adeoque debet palma manûs parùm elevari in altum. Percutiens autem pectus suum, dicit voce mediâ et consequenter intelligibili : *Domine, non sum dignus; reliquum ut intres, etc.*, absolvitur voce secretâ.

1.º Sub *Domine, non sum dignus*, pectus tundit, ut verbo simul et facto se peccatorem profiteatur; idque exemplo publicani, qui se humilians coram Deo pectoris percussione, de templo meruit exire justificatus. 2.º Ter eodem modo orat ut sub hac repetitione crescat humilitatis et confusionis affectus. 3.º Prima verba profert voce intelligibili, ut populi attentionem excitet; et ut vox illius adjuvetur, communiter ei additur sonus campanulæ: cùm autem vocem solùm

(1) Cap. 18.

elevârit ad hunc effectum, statim resumit vocem secretam, quâ absolvit: *ut intres*, etc., et eò magis, quòd hæc verba celebrantem solum afficiunt. Dicit etiam potest quòd celebrans altâ voce proferat: *Domine, non sum dignus*, ut suæ indignitatis professionem faciat, non tantùm coram Deo sed et coram hominibus, et cùm ad id sufficiant prima verba, ideo reliquum dicit secretò.

III. Hæc oratio sumpta est de ore centurionis (1) petentis sanitatem pueri sui his verbis: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantùm dic verbo et sanabitur puer meus*. Tres actus in hac oratione centurionis continentur, nempe fidei, humiliationis et fiducia: porrò ut conveniret celebranti, ultima verba, *puer meus*, mutata sunt in *anima mea*. Sacerdos igitur ad exemplar hujus servi fidelis, plenus fide erga vivificam Hostiam, quam præ manibus gestat, confusione perfusus ob multitudinem peccatorum præteritorum, et infirmitatum, quibus hic et nunc subicitur, spe tamen erectus ob magnam Dei misericordiam, quæ maximè in hoc Sacramento elucescit, exclamare debet ore, sed potissimùm corde: *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum*, id est, in corpus meum; nam quamvis per tectum in evangelio intelligatur domus centurionis, in ore sacerdotis accomodatitiè per tectum intelligendum venit ipsius corpus; aliàs oratio implicaret in illis circumstantiis. *Sed tantùm dic verbo* seu verbum (2), id est, juxta phrasim Hebraïcam, impera, lo-

(1) *Matth.* 8.

(2) *Matth.* in Græco habet *verbum*, sed *Ecclesia* sequitur *S. Lucam*, qui habet *verbo* locutione non ita propriâ.

quere; dic verbulum, *et sanabitur anima mea* ab omni iniquitate et imperfectione; sicque fiet digna frui tanto mysterio, et illius fructus percipere.

IV. Ex *Origine* (1) et *S. Chrysostomo* (2) constat omni tempore fideles communicaturos fuisse inductos ut ante perceptionem Sacramenti agnoscerent suam indignitatem his vel similibus verbis; *Domine, non sum dignus*, etc.: verum hæc precandi formula in antiquioribus libris non invenitur dicenda à sacerdote infra sacrificium; de ea quippè silent *Illyricus*, primi ordines Romani, *Beleth* sæculo XII; legitur tamen sequenti sæculo usitata apud *Durandum* (3), et deindè in ordine Romano XIV.

V. Dictis *Domine, non sum dignus*, celebrans erigit se, et in primis particulam unam alteri superimponit ad facilitandam earum sumptionem. Deindè supponens Hostiæ patenam, fragmentorum causâ, et elevatam paululum ab altari sinistrâ tenens, ne quiescat in loco ubi Hostia jacuit cum periculo particularum ibi fortè restantium, format coram se signum crucis cum sacra Hostia, dicens secretò: *corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.* 1.º Facit crucem cum Hostia, quâ profitetur idem esse corpus in manu gestatum, quod in cruce pependit; verbis autem concomitantibus *corpus Domini*, etc., petit effectum sacramenti, nempe vitam æternam, de qua *Joannis* c. 6: *qui manducat meam carnem...*

(1) Homilia 6. in Evang.

(2) Homilia de *S. Thoma*, et in liturgia.

(3) Lib. 4. cap. 54. n. 10.

habet vitam æternam. Tum depositis in altare cubitis pro majori commoditate, vel etiam ad imitandum Christum, qui fortè in ultima cœna se prostravit (1), Hostiam modestè et reverenter in os immittit, moxque deposita patenâ (in medio corporalis retrò post locum ubi Hostia jacuerat, ne particulæ ex Hostia ibi degentes dorso ipsius patenæ avellantur), extersisque digitis à fragmentis, se erigit, ac manibus coram facie junctis, introducit Sacramentum : cùm autem suos effectus mirabiles operetur completâ illius manducatione, celebrans tunc temporis in silentio quiescens, divini amoris fervorem in se accendere debet, ne quid obsit efficaciam Sacramenti.

VI. Completâ primæ Speciei sumptione, deponit manum sinistram in pedem calicis ad ejus tutamen; dexterâ verò tollit ex eo pallam, secretò dicens : *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi.* Hæc verba psalmi 115. sensu accommodato significant hominem inopem, qui agnoscens magnitudinem beneficii sibi præstiti, vellet aliquid pro eo dare; undè sacerdos fidei oculis intuens et considerans mirabile quod in se factum est, et non valens affectum gratitudinis continere, exclamat : *quid retribuam Domino, etc.?* Carne suâ et sanguine suo satiavit

(1) *S. Lucas* cap. 22. de Christo in ultima cœna habet : *discubuit.* Communiter creditur Christum discubuisse in mensa sedendo; sed contrà est, quòd in illo supposito non videatur quomodo *Joannes* Evangelista potuisset infra cœnam commodè caput in sinum Christi reclinare, quod facilè explicatur, si Christus more Orientalium fuerit in lecto prostratus; quomodo videtur etiam Christum recubuisse in domo *Simonis* leprosi, aliàs *Magdalena* non valuisset commodè pedes illius ungere et capillis tergere.

me Dominus; animam et divinitatem mihi dedit; quid pro illis omnibus ego pauper et inops rependam ei? Tum voce deficiente sub tanti doni meditatione et pondere, in silentio genuflectens adorat sacrum Christi sanguinem. Erectus, è corporali colligit fragmenta (1) in patenam; deindè retracto ad medium calice, ut faciliùs operetur, è patena indice dextro, seu parte illius anteriori et non laterali, quacum mox debet tangere et fricare manubrium calicis, particulas sacras immittit in sanguinem, ut nihil è victima sacrificii post communionem residuum maneat. Tum depositâ in corporale sinistrâ, calicem per manubrium dexterâ apprehendit, eumque tenens altari innixum, prosequitur verba psalmi, et quia pro se tantùm orat, secretò loquitur: *calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo: laudans invocabo Dominum; et ab inimicis meis salvus ero.* Sensus litteralis hujus fragmenti è psalmo *Davidis*, in quo gratias Deo pro liberatione à persecutione sibi suscitâtâ ab *Absalom*, vel, juxta alios, à *Saùle*, ut capiatur, initium psalmi breviter est recogitandum, sic autem incipit: *Credidi* firmiter Deo salutem vel regnum *Israël* mihi promittenti ore *Samuëlis*, propter quod locutus sum intrepidè et fidenter illa à Deo mihi promissa: *ego autem humiliatus sum nimis*; reddit his verbis rationem cur fuerit locutus de sua salute, vel regno futuro; quia nempe in afflictione erat nimia, quo præsertim tempore urget præceptum fidei et spei. Quid

(1) A Græcis fragmenta Hostiæ *Margaritæ* vocantur: idque ut fideles è nomine concipiant eorum pretium.

verò fuerit locutus enarratur verbis sequentibus : *ego dixi in excessu meo : Juxta Hebr. in trepidatione ; juxta S. Hier., in stupore mentis meæ ; juxta Chaldæum inter fugiendum, vel juxta alios in præcipitatione fugiens : Omnis homo mendax, seu fallax ; et Deus econtrà solus verax est : hâc phrasi ostendit non esse credendum hominibus, nec in illis fidendum, sed in solo Deo. Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi, seu pro omnibus beneficiis ejus super me ? Calicem salutaris accipiam. Quid per calicem hîc veniant, variant interpretes. Alii, inter quos Muisius, calicem intelligunt conviviale, quo Judæi in memoriam acceptæ salutis utebantur, et juxta hos sensus est : Cùm lætus convivium celebrabo, attollam vini calicem gratias agens Deo publicè pro salute mihi concessa. Alii, inter quos Genebrardus, exponunt de calice libaminis, seu de sacrificio quo vinum effundebatur in gratiarum actionem. Alii tandem, inter quos Bellarminus, cum SS. Basilio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino et Theodoro, explicant de calice passionis et patientiæ, quo sensu calix sæpè sumitur in sacris Paginis, et notanter Matth. 20. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum !* Juxta hanc acceptionem sensus erit : in gratiarum actionem pro salute mea bibam libenter calicem Domini quantumvis amarum ; benè autem dicitur calix ille salutaris seu salutis, quia afflictio patienter tolerata medium est sanctificationis efficax, et argumentum salutis. *Et nomen Domini invocabo,* hoc est, pressus afflictione, non in querelas contra Deum abibo, sed orabo, ut donum patientiæ largiatur. Ex hac dispositione tandem con-*

eludit : *et ab inimicis meis salvus ero* ; scriptum enim est (1) : *beati qui lugent , quoniam ipsi consolabuntur*. Nihil obest quominus hoc ultimo sensu celebrans citata verba proferat ; verùm magis ei arridet sensus accommodatus calici sanguinis Christi Domini , ut sequitur : in gratiarum actionem calicem salutaris accipiam , nempè sanguinem Domini , de quo scribitur (2) : *qui... bibit meum sanguinem , habet vitam æternam*. *Et nomen Domini invocabo , seu Deum rogabo , ut salvet me vivifico hujus Sacramenti effectum*. *Laudans invocabo Dominum , seu non tantùm Deum orabo ut suprà , sed laudans , ei benedicens , et pro posse gratias agens orabo*. Tandem fidens in virtute Sacramenti addit : *et ab inimicis meis salvus ero* , à dæmone nimirùm , qui hominem ad malum tentat , à mundo , qui eum seducit , et à carne , quæ animum ad voluptates illicitas trahit.

VII. Finitâ oratione præcedente , sinistram linquens in altari , elevat calicem , seque cum eo signat , eâ ratione quâ se cum Hostia signavit , interimque dicit sensu suprà dato : *sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam*. Amen. Tum supponens mento patenam , ut effusionis periculo præcaveatur , reverenter totum sanguinem cum particula sumit. Olim episcopi , sumptâ è calice portione vini consecrati , particulam et reliquum sanguinis sumenda diacono et subdiacono linquebant (3). Hunc ritum in missa solemni , ut colligitur ex cæremoniali , Romanus Pontifex retinuit. Juxta usum Cister-

(1) *Matth.* cap. 5.

(2) *Joann.* cap. 6.

(3) *Bened.* XIV. ex *Lebrun* , de sacrif. miss. n. 540.

ciensis ordinis etiam ministri sacro Christi sanguine reficiebantur; sic enim de diacono legitur: *sumatque sanguinem eadem parte calicis, quâ et sacerdos.* De subdiacono autem: *sumat sanguinem cum fistula;* tum additur: *si quid autem residuum fuerit de sanguine, bibat illud cum calice,* nempe diaconus. Hanc praxim olim fuisse communem in Ecclesia, et perseverasse in sæculum XIII, colligi potest ex statutis Carthusianorum, anni 1259, in quibus habetur: *nec reservatur unquam de sanguine diacono,* quæ verba apertè supponunt tunc temporis quædam saltem hujus praxis vestigia viguisse; aliàs inutilis fuisset hæc rubrica.

VIII. Quædam à precibus, quæ pertinent ad communionem celebrantis, sunt ultimæ antiquitatis; orationem *Domine non sum dignus* aut æquivalentem, communem omnibus communicaturis refert *Origines* auctor III sæculi (1). *Corpus Domini nostri,* etc., habetur in constitutionibus apostolicis (2), et in sacramentario *S. Gregorii* (3). Interim constat non fuisse mox à sui institutione in liturgiam inductas; illa quæ incipit *panem cælestem,* et alia *quid retribuam,* leguntur equidem in missa *Illyrici:* duæ aliæ, scilicet *corpus Domini nostri,* et *sanguis Domini nostri* etiam quoad substantiam ibidem inveniuntur sub hac forma communi: *communicatio et confirmatio corporis et sanguinis D. N. J. C. prosit mihi in remissionem omnium peccatorum meorum, et conservet me ad vitam æternam;* sed de his nulla mentio

(1) Homil. 5. in div.

(2) Lib. 8. cap. 15.

(3) Lib. 1.

in ordinibus Romanis sæculo XIV anterioribus, in quibus nec *Domine, non sum dignus* refertur. Sæculo tantùm XIII *Durandus* (1) mentionem facit explicitam orationum quas communicantes recitamus, exceptâ tamen oratione *sanguis Domini nostri*, cujus loco sub signo crucis refert hæc verba *laudans invocabo Dominum*, quorum loco in missali reformato à *Pio V* habetur *sanguis Domini*, etc.

ARTICULUS XLI.

De purificationibus.

I. CELEBRANS, sumpto sanguine, demittit sinistram in corporale, et interea offert ministro calicem, ut in eum effundat vinum in purificationem, non solius calicis, sed oris sui et gutturis: fit autem hæc ablutio solo vino, id est, potu pretioso; tum ad majorem Sacramenti reverentiam, tum, juxta *S. Thomam* (2), quia vinum ratione humiditatis est ablutivum. Utque efficacius particulæ vini consecrati absumantur, celebrans vinum circumagit intrâ calicem antequam illud sumat. Tum suppositâ iterùm mento patenâ ad cautelam, dictum vinum sumit.

II. Dum vinum infunditur, dicit secretò: *quod ore sumpsimus, Domine, purâ mente capiamus, et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum. Quod ore sumpsimus, nempe corpus et sanguinem tuum, Domine, purâ mente capiamus. Sa-*

(1) Lib. 4. cap. 54. n. 11.

(2) 3. p. q. 85. art. 5. resp. ad 10.

cerdos, ignorans utrùm sit mundus omninò à peccatis, imò se sentiens variâ infirmitate spirituali oppressum, rectè Deum, qui solus potest facere mundum de immundo conceptum semine, orat pro sui cordis perfecta purgatione. Sed quomodò Sacramentum, quod jam sumpsit in præterito, potest in præsentì recipere purâ mente? Videtur implicantia in terminis. Hic sermo verificari potest, illum referendo ad tempus quo celebrans sumebat Sacramentum, vel etiam sumendo verbum *capiamus* in præsentì; nam quamvis jam sumpserit Sacramentum, attamen Christus integer existit intrâ sacerdotem; proindèque potest orare pro suâ mundatione, ne quid in eo vultum divinæ Sanctitatis offendat. *Et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.* Operatio Sacramenti est transitoria; nam statim atque corpus Christi attingit stomachum, seu completur manducatio, omnes effectus Eucharistiæ simul et semel ex opere operato producuntur, et hoc sensu Sacramentum dicitur, munus temporale; sed cùm fructus dignæ communionis subsistere valeant toto vitæ cursu, imò et in vitam æternam, benè addit: *fiat nobis remedium sempiternum*, contra vitia, scilicet, tentationes, et languores in jugo Dei ferendo.

III. Hæc oratio est antiqua valdè, siquidem legatur saltem quoad substantiam in missa Illyrici, in missali Gothorum ante tempora Caroli Magni, in ordine Romano IV, et in aliis pluribus monumentis antiquis. In quibusdam libris (1) concepta invenitur in numero singulari: *quod*

(1) In missali abbatiae Marchianæ diocesis Atrebatensis, im-

ore sumpsit, etc., sed in iis quos suprâ citavimus, et aliis, communiter legitur in plurali, et non mirum, quia olim, dum fideles missæ assistentes sub illa communicabant, partem habebant in hac oratione, prout et nunc habent, quando infra missam communicatio distribuitur. Sed quare tunc non altâ voce absolvitur, cùm tangat adstantes? Ex reverentia erga divinam Majestatem, quâ tunc plenus est sacerdos, et etiam ad majorem ipsius in silentio recollectionem. Interim quando solus communicat, in singulari sumere debet hanc orationem, prout fieri posse jam alibi demonstravimus.

IV. Post sumptionem primæ purificationis, sacerdos utrâque manu cuppam calicis complectens, et pollices ac indices intrâ tenens, factâ cruci inclinatione, discedit è medio ob reverentiam crucis vel tabernaculi, et progreditur versùs cornu epistolæ, ubi à ministro in ipsius digitos funditur primò vinum, et deindè aqua, ut sic particulæ iis adhærentes tollantur, et cum purificatione sumantur; deindè purificatorio exsiccatis digitis, redit ad medium, ubi, salutatâ cruce, accipit purificatorium, quod mento supponens sumit secundam purificationem per eam partem calicis, quâ sanguinem et vinum deindè sumpsit, ut sic tutiùs tollatur omnis sanguis. Hæc secunda purificatio fit ex vino ob rationem suprâ positam, cui additur aqua etiam de se ablutiva, ut particulæ vini tenaciùs adhærentes, aquâ seu elemento fluidiore à calice et digitis auferantur. Aliundè hæc commixtio fieri potest ad majorem mun-
 presso circa annum 1200, et in pluribus Ecclesiæ Meldensis circa idem tempus editis, quæ citat *Lebrun*.

ditiem, ne scilicet purificatorium colore vini maculetur, vel etiam in signum sobrietatis, ut nempè ministri altarium discant in conviviis vinum aquâ temperare.

V. Sub hac secunda purificatione dicit celebrans voce secretâ : *Corpus tuum, Domine, quod sumpsi et sanguis quem potavi, adhæreat visceribus meis*, non corporis, sed animæ; viscera quippè in sensu proprio significant partes corporis interiores : cùm autem implicet oratio, quâ peteretur, ut Christi corpus partibus illis adhæreretur, necessariò hic debet fieri transitus à sensu proprio ad sensum improprium, adeoque per viscera significantur partes animæ interiores, seu potiùs intimi ejus affectus quibus adhærere petit celebrans Sacramentum, seu gratia illius, ut dictos affectus sanctè dirigat ; sequitur : *et præsta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.* Quibus verbis petit ut sanctitate Sacramenti omnis reatus culpæ, sive mortalis, sive venialis in se consumatur et tollatur. Equidem scelus præ se fert culpam gravem, sed parùm laxando ipsius significationem, et venialem importare potest. Sed dices Eucharistiam non esse à Deo institutam ad conferendam primam, sed solùm secundam gratiam. Id reverà per se non facit, sed facere potest per accidens, quando nempè quis se bonâ fide reputat in statu gratiæ, quem reverà non habet ob latitans in se peccatum mortale ; si de eo sit contritus, saltem imperfectè percipiendo Eucharistiam ab eo liberatur ; proindèque nil obest quominus sacerdos præsentem faciat orationem.

VI. Hæc oratio *quod ore sumpsimus* in plurali, paucis immutatis, invenitur in antiquissimo missali Gothorum, cujus ætas ut sciatur, sciendum est reges Gothorum in Hispaniis dominatos fuisse sæculo VI; referente autem *Grancolas* (1), Gothi suam liturgiam acceperunt ex antiquis ritibus Gallicanis; adeoque verosimiliter ante missale Gothorum existerat. Oratio *corpus tuum*, etc., legitur in missa *Illyrici* dicenda post communionem. Interim non tam citò sedem tenuit in liturgia Romanæ Ecclesiæ; illius enim nullum indicium in primis ordinibus Romanis, nec etiam sæculo XIII apud *Durandum*, sed solùm sæculo sequente invenitur in ordine Romano XIV.

VII. Olim, sumpto sanguine, manus simpliciter lavabat celebrans; aqua autem hujus lotionis mittebatur in sacram piscinam; ut patet ex omnibus libris vetustis et ordinibus Romanis, in quibus solùm fit verbum de communionem et manuum lotionem. Quo autem modo tunc calix purificaretur à vini consecrati reliquiis non constat; in quibusdam antiquis missalibus innuitur præcisè calicem purificandum post communionem sacerdotis diacono fuisse dimissum: sed an id fieret infusione vini vel aquæ, an illam purificationemsumeret ipse diaconus, an aliis potendam præberet, vel in piscinam infunderet, incertum est. Hanc praxim durasse in sæculum XII et XIII authenticis probari potest documentis. In primis cardinalis *Lotharius* è Comitibus Signiæ, qui ad Pontificatum fuit elevatus anno 1198 sub nomine

(1) De antiquis liturgiis, tit. Quot antiquæ liturgiæ in Gallia, editionis quâ utor, pag. 351.

Innoc. III. in tractatu *mysteriorum*, quem ante sui promotionem in lucem dederat, solùm meminit de communione celebrantis, et manuum ipsius lotionē. Pontifex autem scribens hac super re ad episcopum quemdam (1) anno 1212, præscribit ut celebrans semper ablutionem calicis cum vino agat, eamque sumere non omittat, nisi in casu secundæ missæ ab eo celebrandæ, quibus verbis mortem veteris ritûs, et ortum novi habemus. De secunda purificatione digitorum, et iterùm calicis dicit *S. Thomas* (2), qui scripsit circa medium ejusdem sæculi, hoc modo: *eâdem ratione perfundit vino digitos* (non et aquâ, ut ei tribuit *Benedictus XIV*) (3) *quibus corpus Christi etigerat*. Scriptor ejusdem temporis, scilicet *Durandus*, obscurè admodum loquitur de purificatione calicis; capite enim 54, libri 4, n. 12, eam tangit generalibus terminis *in sumptione perfusionis*. Capite verò sequente, n. 1, habet *perfusionis autem aqua debet in locum mundum et honestum diffundi*. Et ibidem n. 3, addit: *sanè sacerdos digitos perfundit et perfusionem sumit in dextro cornu altaris, vel saltem revolutus ad illud*. Ex his conjicitur tunc temporis ritum circa purificationem calicis, et illius sumptionem fixam nondum habuisse consistentiam. Verùm paulò post, id est, circa finem sæculi XIII, in concilio Coloniensi habito anno 1280, præscripta fuit purificatio cum vino et aqua; fuitque hæc rubrica anno 1284 confirmata in concilio Nemausensi in Gallia, et tandem in

(1) Magalonæ, cujus sedes fuit translata Montempessulanum anno 1536.

(2) 3. p. q. 83. art. 5. ad 10.

(3) Tom. 1. de sacrif. miss. n. 341.

ordine Romano XIV. Advertit tamen *P. Lebrun* (1) ritum binæ purificationis calicis longè ante tempora *Innoc. III* viguisse apud religiosos, undè venit in mores Romanos; idque evincit ex ordinario antiquo ordinis Præmonstratensium, et ex usu Cisterciensium. Quoad lotionem manuum, et projectionem aquæ illius in piscinam, spontè cessavit institutis purificationibus calicis et digitorum, ac præscriptâ earum sumptione. Quædam tamen illius supersunt vestigia in missa Pontificali, sub qua celebrans, sumptis purificationibus, lavat manus in cornu epistolæ, antequam prosequatur, sed hæc lotio non ampliùs mittitur in piscinam, quia jam ablutis digitis, quibus tetigerat sacras Species, nullum subest periculum profanandi Sacramentum. Idem servatur in missa solemnè juxta ritum Leodiensem.

ARTICULUS XLII.

De antiquo ritu communionis fidelium.

I. PUNCTUM fidei est adultis, postquam ad annos discretionis pervenerint, communionem hoc præcepto divino: *nisi manducaveritis carnem Filii Hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*, esse necessariam ad salutem; et circa hoc semper fuit una mens Ecclesiæ. Utrùm autem communicatio danda sit laïcis sub utraque specie? An frequentari debeat hoc sacramentum à fidelibus? Quo ritu et à quibus sit ministranda, tot sunt puncta disciplinæ, quæ nonnullis muta-

(1) Explic. cær. miss., p. 3. art. 9. §. 3. de ablutione, etc.
Tom. IV.

tionibus fuerunt obnoxia, de quibus jam est breviter dicendum.

II. Olim fideles communicasse sub utraque specie liquet ex omnibus monumentis antiquis; hicque usus, juxta cardinalem *Bona* et alios, duravit in sæculum XII. Imo et vigebat in nonnullis locis sæculo sequenti, prout colligi potest ex his verbis *S. Thomæ* (1): *Providè in quibusdam Ecclesiis observatur, ut populo sumendus sanguis non detur.* Huncque morem distribuendi Eucharistiam laïcis sub utraque specie in die Paschæ retinuerunt summi Pontifices usque ad tempora *Martini V*, qui electus fuit 11 Novembris 1417: ita ordo Romanus *XV Petri Amelii*. Idemque testatur *Nicolaus Cusa*, cardinalis, in litteris ad Bohemos scriptis, die 11 Octobris 1452 (2), manentque in Ecclesia Latina quædam illius vestigia; nam 1.º diaconus et subdiaconus Pontifici solemniter celebranti ministrantes communicant sub utraque specie. 2.º Reges Galliæ in die coronationis eorum, sumpto Christi corpore, calamo sacrum sanguinem hauriunt. Imò, teste *Spondano*, possunt in articulo mortis per modum viatici communicare sub utraque specie, et ex privilegio *Clem. VI* idem possunt per vitam, quamvis hoc jure non utantur. 3.º In monasterio *S. Dionysii*, prope Parisios, diebus dominicis et festis solemnibus diaconus et subdiaconus ministrantes utraque specie reficiuntur. 4.º Cluniaci singulis dominicis et festis ministri altaris utramque speciem sumunt: ita habet liber usus instituti illius.

(1) P. 3. q. 80. art. 12.

(2) Epist. 7. tom. 2. pag. 355.

Porro Ecclesia justis de causis ab ore laïcorum sustulit usum calicis : 1.º Ob periculum effusionis. 2.º Ob vini raritatem in certis locis. 3.º Ad confutandas duas hæreses ; scilicet *Jacobel Bohemi*, Pastoris *S. Michaëlis Pragæ*, et discipuli *Joannis Hus*, qui sacrilegos dicebat eos, qui sub una tantum specie communicabant ; deindè eorum qui negabant sub quavis specie totum Christum contineri. Ecclesia autem reducens communionem laïcorum ad unam speciem, nil egit contra institutionem Christi, qui ipsemet duos discipulos communicavit in Emmaus sub una tantum specie ; de iis quippè tantum dicitur quòd agnoverint eum in fractione panis. Aliundè sub primis Ecclesiæ sæculis non semper communio laïcis distribuebatur sub utraque specie, sed solùm quando fiebat illius distributio intrà missarum solemniam, ita ut Ecclesia reducens communionem ad unicam speciem nihil novi instituerit, sed simpliciter ritum præexistentem, alio reformato, ob rationes supradictas adoptaverit : idque sine damno communicantium, cùm integer Christus sub quavis specie contineatur.

III. Usus communicandi sub utraque specie hodiedum viget in Ecclesia Græca, saltem dum Sacramentum sumitur infra missarum solemniam, hancque formam profert celebrans in communicantem exprimendo nomen illius : *sumis, serve Dei N., pretiosum et sanctum corpus et sanguinem Domini et Salvatoris nostri Jesu Christi in remissionem peccatorum tuorum, et vitam æternam*. Extra missam autem ægrotantes solo corpore Christi reficiuntur ; ad quod feria V in cœna Domini panis grandior consecratur, cujus quartam par-

27.

tem consumit celebrans, reliquum verò in particulas dividitur, quas *Meridas* seu *Margaritas* dicunt, et sacro Christi sanguine intingunt, illæque mox ad ignem admotæ exsiccantur, ut sic per annum integrum conservari valeant; et cùm moribundis exhibentur, ad faciliorem earum summptionem, præviè in vino emolliuntur: porrò illa panis intinctio sanguine Christi, non fit eo fine ut ægroti sub utraque specie communicent, nam per exsiccationem panis intincti, desinit ibi esse sanguis Christi, nec per emollitionem ibi reproducitur, sed solùm ut significetur sub sola specie panis sanguinem etiam contineri; qua super re videri potest *Leo Allatius* (1). Pariter Græci infra quadragesimam, exceptis sabbatis et dominicis, utuntur præsanctificatis, de quibus antè diximus, cap. I, art. III, n. X; adeoque sub una tantùm specie tunc communicant.

IV. Primis Ecclesiæ sæculis, fideles, *quorum erat cor unum et anima una*, quotidie perseverabant in *communicatione fractionis panis* (2); nullusque sacris mysteriis interesse poterat, nisi paratus ad communionem, prout testantur hæc verba *Callisti* Papæ anno 219: *peractâ consecratione; omnes communicent, qui nolunt ecclesiasticis carere liminibus; sic enim apostoli statuerunt.* Hæc praxis durasse videtur in sæculum V; verùm refrigescente fidelium fervore, qui famelici ad sacras dapes accurrebant, debuerunt tandem non tantùm invitari, sed et urgeri, imò et pœnis quodammodò constringi, non ut quotidie, sed

(1) Epist. 2. ad *Nihusium*, in suis *Symmietis*, lib. 1.

(2) Act. cap. 2. et 4.

saltem ut aliquoties in anno accederent ; undè in synodo Agathensi sæculo VI (1) decretum est : *sæculares , qui in Natali Domini , Pascha et Pentecoste non communicaverint , catholici non credantur , nec inter catholicos habeantur*. Quamdiu autem hæc disciplina viguerit , incertum est. Hoc constat , quòd , labente per Ecclesiam pietate , præceptum debuerit restringi ad annuam communionem , quod factum est in concilio magno Lateranensi habito sub *Innoc. III* anno 1215 , famoso canone : *Omnis utriusque sexûs fidelis postquam ad annos discretionis pervenerit , etc.*, in quo et tempus determinatur ad satisfaciendum præcepto , nempe Pascha , seu quindena Paschatis , et pœna negligentibus his verbis : *alioquin et vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur , et moriens christianâ careat sepulturâ*. Hunc usum postea confirmavit Tridentinum (2) , declarans alio in loco (3) votum suum esse , ut Christifideles frequentius ad sacram communionem accedant ; imò , suppositâ morum innocentia , ut in singulis Missis fideles adstantes sacramentaliter communicent.

V. Multis temporibus in Ecclesia usitatum fuit , ut adultis et infantibus immediatè post collatum baptisma , sacra communio distribueretur : hujus disciplinæ fidem faciunt Patres sex aut septem primorum sæculorum ; innuiturque in Sacramentario *S. Gregorii* (4) ; et hunc morem viguisse in sæculum XI , saltem in nonnullis Ecclesiis , testatur *Hugo à sancto Victore* , qui tunc temporis

(1) Canone 18.

(2) Sess. 13. cap. 9. de Euchar.

(3) Sess. 22. cap. 6. de sacrif. miss.

(4) Tit. de sabbato sancto.

scribebat. Idem ritus hodie vivit in Ecclesia Græca, uti patet ex modernis illius ritualibus, quem et refert *Arcudius* (1) in Ecclesiæ illius rubricis versatissimus: porro infantes ad faciliorem Eucharistiæ sumptionem solâ specie vini reficiebantur; idque, juxta *Hugonem* supra citatum, digito sacerdotis sanguine Domini intincto, ex quo infantes illum sugebant, moxque ablaclabantur: sed jam apud Græcos his sanguis datur, mediante parvo cochleari, quod decentius videtur. In quibusdam Ecclesiis sæculo VI, post distributam fidelibus communionem, quæ supererant, à pueris consumebantur: de hac praxi in Ecclesia Græca fidem facit sub *Justiniano Evagrius* (2), et durasse in sæculum XIV testatur *Nicephorus*. Contra hanc praxim insurrexerunt plura concilia, et inter alia Turonense anni 813 (3). Sæculo XII, *Odo de Soliaco*, episcopus Parisiensis, et synodus Bajocensis anno 1300, prohibuit *presbyteris, ne Hostias sacras dent pueris ullo modo infra septennium constitutis* (4). Hæc autem prohibitiones probant eandem praxim viguisse in Ecclesia Latina: porro fuit proscripta justis de causis; nam licet infantes ante usus rationis percipere valeant Eucharistiam cum aliquo fructu ex opere operato, tamen non habent devotionem actualem, quam, ad dignam sui perceptionem, tantum exigit Sacramentum, aliundè erat periculum, ne in multitudine infantium daretur aliquibus, quorum malitia præveniebat ætatem.

(1) Lib. 5. de S. Euchar., cap. 11.

(2) Lib. 4. hist. eccles., cap. 36.

(3) Can. 19. conc. tom. 12. pag. 1264.

(4) Can. 6. conc. tom. 11. pag. 1452.

Usus etiam olim habuit, ut Eucharistia mortuorum corporibus applicaretur, prout colligitur è vita *S. Basilii*, *Amphilochio* adscripta; ubi refertur dictum *Basilium* sub sacrificio partem Hostiæ reservasse secum sepeliendam; exemplum aliud refert *S. Gregorius* (1), nempè *S. Benedictum* puerum monachum extra claustra defunctum jus- sisse sepeliri, corpore Christi supra pectus ejus posito. Porrò id fiebat, ut pœnitentes, sine comunione defuncti, per applicationem Eucharistiæ eorum corporibus, Ecclesiæ reconciliarentur. Verùm hanc praxim erga Sacramentum irreligiosam, et quam pepererat ignorantia, meritò damnârunt concilia Carthaginense III (2), Antissiodorensis (3) et Trullianum (4). Aliundè Eucharistia est instituta per modum cibi aut potûs, adeòque pro solis viventibus; ita ut absque magno abusu concedi nequeat mortuis.

VI. Quando laïcis sub utraque specie præbe- batur, sacerdos fidelibus solùm Christi corpus distribuebat, et quidem viris in propriis et nudis eorum manibus qui seipsos deindè commu- nicabant, ad exemplum apostolorum, qui in ultima cœna Corpus Domini in manus receperant ad seipsos communicandos: undè causâ hujus moris *Tertullianus* (5) de iis qui gentibus idola fabricabant, ait: *eas manus admovere corpori Domini, quæ dæmoniis corpora conferunt. O manus*

(1) Lib. 2. Dialog. cap. 24,

(2) Canone 6.

(3) Canone 12.

(4) Canone 85.

(5) Lib. de idolat. cap. 7, ejusdem ritus mentionem facit de corona militis, cap. 3. et alibi.

præcidendæ! Feminæ verò Sacramentum recipiebant, non nudis manibus, sed in linteo (1), è quo illud sibimetipsis porrigebant; de quo *S. Augustinus* (2): *mulieres quo modo nitidum exhibent linteum, ubi corpus Christi accipiant, sic corpus castum, et cor mundum exhibeant.* Quoad sanguinem, illius distributio fiebat à diaconis, prout evinci potest ex his verbis *S. Laurentii ad Xystum Papam* (3) *experire utrùm idoneum ministrum elegeris, cui commisisti dominici sanguinis dispensationem.* Ideoque, juxta *Bona* (4), diaconus offert calicem cum celebrante his verbis communibus, *offerimus, etc.*, non autem Hostiam, quia hujus distributio, non ad eum, sed ad celebrantem spectabat. Insuper diaconorum erat deferre Eucharistiæ Sacramentum ad absentes, nempe ægrotos: *diaconi*, inquit *S. Justinus* (5), *distribuunt unicuique præsentì, et ad absentes deferunt.* Tandem sub primis sæculis fideles non modò recipiebantur corpore et sanguine Christi sub missarum solemnibus, sed et ipsis credebantur species corporis Domini, quibus se communicabant in domibus suis ex devotione, aut in tempore persecutionis ad se confortandos contra tyrannorum impetus: hujus praxis mentionem fa-

(1) Hoc linteum communiter ab auctoribus *dominicale* dicitur, à Domino, cujus corpus recipiebat: *Baluzius* tamen in notis ad *Gratianum*, num. 33. q. 5. c. 19. *Mulier*, pag. 552. vult *dominicale* non esse aliud quàm linteum ad caput velandum, sine quo nefas erat feminis ad Eucharistiam accedere.

(2) Serm. 252. de temp. edit. Lovaniensis novæ, pag. 229.

(3) Hæc verba referuntur à *S. Ambrosio*, lib. 1. de offic., cap. 41.

(4) *Rer. liturg.* lib. 2. cap. 9. num 5.

(5) *Apologia* 2.

ciunt conc. Trullanum (1), et S. Joannes Damascenus. (2)

Primis temporibus, sacerdos porrigendo speciem panis dicebat: *corpus Christi*, cui communicans respondebat *amen*, seu verum est quod dicis; quo verbo professionem faciebat præsentiæ realis Christi in Eucharistia. Hæc forma præscribitur in constitutionibus apostolorum (3), fuitque in usu ævo S. Ambrosii in Ecclesia Mediolanensi, id est, sub fine IV sæculi: *dicit tibi sacerdos, inquit (4), corpus Christi, et tu dices amen, hoc est verum*. Pariter diaconus præbens fidelibus sanguinem Christi, dicebat: *sanguis Christi, calix vitæ*, et recipiens addebat *amen*: ita in constitutionibus apostolorum loco citato. Postea inventæ sunt multæ aliæ formæ, aliæ aliis longiores, quæ videri possunt apud Georgi (5), et quæ, quoad sensum, conveniunt cum iis quibus nunc utimur in distributione Eucharistiæ.

VII. Quando ritus, de quibus suprâ, describuntur, non potest præcisè determinari; attamen quantum fas est loqui hac super re, breviter dicemus. 1.º Verosimiliter diaconi tamdiu Eucharistiam dispensârunt, quamdiu viguit usus communionis sub utraque specie, id est, usque ad sæculum XII vel etiam XIII. Hoc autem usu cessante, cessavit hoc ministerium respectu ipsorum, fuitque ob majorem Sacramenti reverentiam reservatum *solis presbyteris, quibus, ut ca-*

(1) Can. 101.

(2) Lib. 4. de fide, cap. 14.

(3) Lib. 8. cap. 13. in fine.

(4) De Sacram., lib. 4. cap. 5. n. 13.

(5) Tom. 3. lib. 4. cap. 19. n. 9. pag. 178.

nitur in hymno corporis Christi, *sic congruit ut sumant et dent cæteris*. Porrò præfatus hymnus communiter tribuitur *S. Thomæ*, qui scripsit circa medium sæculi XIII; adeòque tunc temporis soli sacerdotes erant Eucharistiæ ordinarii dispensatores. Dico *ordinarii*, quia hodie dùm non est sublata à diaconis functio distribuendi Eucharistiam, prout patet ex eorum ordinatione, sed restricta est ad casum necessitatis, in quo solo possunt delegari à sacerdotibus ad hoc ministerium.

2.º Usus tradendi Eucharistiam fidelibus in domos deportandam, ut pro sua devotione eam sibi darent, non duravit ultra sæculum IV; nam in concilio Toletano I id fuit severè prohibitum his verbis (1): *si quis autem acceptam à sacerdote Eucharistiam non sumpserit, veluti sacrilegus repellatur*. Porrò hoc statutum fait, quia, mutatis tunc moribus, fuisset periculosum hoc sacrum depositum credere personis, quæ ad exemplar majorum suorum cordis innocentiam non ampliùs ita in se conservabant.

3.º Usus iisdem tradendi Sacramentum in Ecclesia vel in casu morbi, ut illam propriis manibus mox sumerent, diutiùs perseveravit: Romæ tamen ante sæculum VII mos vigeat immittendi Sacramentum in os communicantis, prout discimus à *S. Gregorio Magno*, qui refert (2) *Agapetum* Papam cuidam muto et claudo corpus *Dominicum* in os misisse. Verùm alibi ultrà stetisse compertum est, nam ex actis *Odiliæ* abbatissæ

(1) Can. 14.

(2) Lib. 5, dialog. c. 5.

sæculo VIII, apud *Mabillon* (1) constat hanc Sanctam accepisse calicem, in quo erant corpus et sanguis Christi, propriisque manibus illa sumpsisse. Imò hæc licentia, quâ scilicet laici poterant sacra tangere, et sibi illa dare, in quibusdam Galliæ provinciis sæculo IX in adeo turpem abusum irrepserat, ut mulieres intolerabili impudentiâ ad altare non dubitarent accedere, sacra mysteria tollere, et aliis administrare; quem abusum execrati sunt et extinxerunt episcopi in synodo Parisiensi anno 829 (2).

ARTICULUS XLIII.

De ritu moderno communionis fidelium.

I. TEMPUS proprium communionis fidelium, est illud quod immediatè sequitur communionem celebrantis, et ratio hujus per se patet; quippè congruit ut populus cum sacerdote communicet, qui cum eodem obtulit victimam sacrificii; aliam quoque refert rituale Romanum (3) his verbis: *communio autem populi infra missam fieri debet (nisi quandoque ex rationabili causa post missam sit facienda), cum orationes, quæ in missa post communionem dicuntur, non solùm ad sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectant; talisque fuit antiqua praxis Ecclesiæ, scilicet, ut Eucharistia non distribueretur, nisi infra missarum solemniam: undè S. Carolus Borromæus (4): hoc, in-*

(1) Præf. in sæcul. III. Bened. n. 75.

(2) Lib. 1. cap. 45.

(3) De sacram. Euchar.

(4) Acta eccles. Mediolan., p. 597.

quit, institutum parochus servare studeat, ut, quod antiquissimi ritus est, intrâ missarum solemnia post sanguinis sumptionem, præbeat sacram Eucharistiam. Igitur sepositâ justâ ratione, communio distribui debet intrâ missam, sivè solemnem, sivè privatam. Quando autem adest ratio, uti insinuat rituale Romanum suprâ, nihil obest quin communio fiat ante vel post missam. Porrò censetur ratio sufficiens, juxta auctores, si sit multitudo magnanimis communicantium; ratione cujus distributio nimium protraheretur, non sine tædio adstantium. Alia etiam hujus datur in jure fundata, quando nimirum celebratur missa de *requiem*; Sacra enim rituum congregatio sub illa vetat (1) Eucharistiæ dispensationem ex Hostiis præconsecratis, ob vestimentorum lugubritatem, quæ dedecet hujus convivii festivitatem. Aliud est, quando Hostiæ sunt consecratæ infra dictam missam de *requiem*: eâdem ratione quâ sacerdos celebrans se communicat in paramentis nigri coloris, potest et aliis dare communionem, cùm in hoc supposito Hostiæ spectent ad sacrificium.

II. Si igitur sint fideles communicandi infra missam, celebrans, sumpto diligentius sanguine, calicem deponit in corporale versùs cornu evangelii, eumque pallâ coöperit; ne quid in illum decidat; non autem sumit purificationes, ut sit jejunos casu, quo aliquod fragmentum ex Hostiis, populo distributis, ad sumendum superesset. Interim minister nomine communicantium facit confessionem per *confiteor*, quo finito, sacerdos conversus ad populum, dicit altâ voce: *misereatur*,

(1) S. R. C. 2. Septemb. 1741.

etc., et deindè *indulgentiam*, etc., cum cruce. Reversus ad altare, accipit in manu sinistra purificatorium, et dexterâ Speciem unam, quam sic elevat super patenam, si eâ utatur, vel supra ostium ciborii, ut videatur à populo, ad quem conversus profert hæc verba præcursoris Domini: *ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi*, et deindè ter *Domine, non sum dignus*, etc. His absolutis, progreditur ad communicandos versùs cornu epistolæ, idque pro majori ipsius commoditate; cùm enim sinistrâ teneat pyxidem, remanet latus dextrum apertum et spatiosum ad ministrationem, ita ut faciliùs videat communicandos. Stans autem coram eis, facit cum corpore Christi signum crucis, dicens singulis; *corpus Domini nostri Jesu Christi*; deindè addens, *custodiat animam tuam in vitam æternam. Amen*, immittit Speciem in os communicantis. Si salivam indè traxerit, inspicit digitos, ut, si viderit aliquam in eis particulam, eam immittat in pyxidem antequam eos à saliva abstergat; interim hæc abstersio facienda est cum præcautione, id est, non disjunctis pollice et indice, ne scilicet aliqua particula, quæ visum fugit, cum purificatorio tollatur. Peractâ distributione, redit ad altare, et sub debitis genuflexionibus recondit sacras Species in tabernaculo. Hicque est advertendum non dandam esse benedictionem cum ciborio, vel manu, quia sacerdos daturus est in fine missæ. Sed quid si infra missam de *requiem* ex Hostiis sub illa consecratis communionem distribuerit, cùm in fine illius non detur benedictio, an hic dari debet? R. negativè, quia nullibi præscribitur.

III. Dum communio est distribuenda extra missam, sacerdos, lotis manibus ad nitidiorem contactum Sacramenti, induit se superpelliceo et stola coloris officii, omniaque observat quæ suprâ sunt tradita, sed post datam communionem ad altare revertens, *dicere poterit*, inquit rituale Romanum: *O sacrum convivium*, etc., ut ibidem; adeoque illud omittens non peccat, cum rubrica sit tantum directiva. Ad altare, antequam coöperiat pyxidem, inspicit digitos, et si in iis advertat aliquam particulam, fricatione digitorum eam in pyxidem immittit; tum lotis digitis, et purificatorio abstersis, extendens et elevans manus, simul et oculos ad crucem, dicit altâ voce: *benedictio Dei omnipotentis*; conversus autem ad populum, addit formans crucem: *Patris et Filii et Spiritus sancti*, ac deindè, manibus junctis, absolvit orationem his verbis: *descendat super vos et maneat semper*, cui minister respondet *amen*. Hæc benedictio datur ex quadam urbanitate, ne scilicet populus discedat sine *vale*, seu bonâ aliquâ pre-catione.

IV. Si communicandi sint diversi statûs, clerici et laïci, primò præbenda est sacra communio clericis, et quidem in gradibus altaris, vel saltem in loco proximo altari, et deindè laïcis. Hanc distinctionem exigit eorum dignitas. Quòd si adsint sacerdotes, quantum fieri potest, induere debent superpelliceum; saltem sine stola non accedant, ut præscribitur in rituali Romano, ut qui sint innotescat. Hæc stola verosimiliùs debet esse albi coloris (1), quia

(1) *Baruffaldus*, in rit. Rom. tit. 24. §. 11. n. 63. p. 119.

hunc exigit officium corporis Christi. Quando sunt clerici diversi ordinis, 1.º communicandi sunt sacerdotes, 2.º diaconi, 3.º subdiaconi, 4.º in minoribus constituti, 5.º tonsurati, et 6.º tandem laici. Dum adest unus tantum communicandus, orationes *misereatur* et *indulgentiam* dicendæ sunt in plurali, quia cadunt super omnes adstantes; et quando solæ sunt feminæ, non est dicendum: *Domine, non sum digna*, etc., sed in masculino *dignus*, tum quia nihil in rubricis de hac mutatione, tum quia dictio in ore sacerdotis foret vitiosa, tum quia referuntur verba centurionis, in quibus habetur *dignus*.

V. Preces et cæremoniæ, quibus communio laicis distribuitur, sunt excerptæ, ut attendenti patet, ex ordine missæ, maximèque congruunt administrationi hujus mysterii. In primis fit confessio generalis per *confiteor*, quâ leves defectus seu peccata venialia remitti possunt, et de qua scriptum est: *dic peccata tua, ut justificeris*. Deindè exhibetur species absolutionis super peccata confessa, his verbis: *misereatur* et *indulgentiam*, sed quæ non est sacramentalis; cum hæc non sit merè deprecativa, et exigit confessionem peccatorum in individuo, adeòque præsens absolutio solùm producit effectum ex opere operantis. 3.º Sacerdos ostendens Speciem consecratam communicandis, dicit: *ecce Agnus Dei*, quibus verbis eos hortatur ad actum fidei circa realem Christi in Sacramento præsentiam. 4.º Ter dicit: *Domine, non sum dignus*, ut cum eo fideles producant actum repetitum profundissimæ humiliationis. Tandem sacerdos eo modo, quo se communicavit, id est, cum signo crucis

et his verbis *corpus Domini nostri*, etc., præbet Sacramentum fidelibus. Cùm de his orationibus et cæremoniis egerimus in cursu missæ, nihil hïc circa illas adjiciendum putamus.

Sed quæri potest quare infra missam hæ preces dicantur ante communionem, cùm jam factæ fuerint in ordine missæ? Equidem olim, quando sub sacrificio distribuebatur Eucharistia, iis prætermissis, sacerdos accedebat ad communicandos, quibus distribuens Sacramentum simpliciter dicebat: *corpus Domini nostri*, vel alia verba, juxta disciplinam antiquam Ecclesiæ. Hunc morem retinuerunt Carthusiani; sumpto enim sanguine, procedunt in silentio ad communicantes, et Eucharistiam distribuentes dicunt tantùm: *corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat te in vitam æternam*. Hic ritus vigit usque ad sæculum XIII, quo tempore, inquit Morinus (1), religiosi mendicantes communioni fidelium, sive extra, sive intrâ missam fieret, confessionem præmittere cœperunt. Hunc autem ritum mox inter suas leges involvit liturgia Romana. Porrò ob has rationes sub missa ante communionem repetuntur dictæ preces; 1.º quia ordinariè Eucharistia distribuitur infra missam solemnem, cujus cantu fideles impediuntur ab auditione precum illarum, et consequenter ab attentione ad illas. 2.º Quia accidere potest, et non rarò accidit, ut quidam communicandi intrent Ecclesiam, missâ jam inchoatâ, sic ut dictis precibus non interfuerunt.

VI. Olim fidelibus post perceptam communionem, vinum præbebatur potandum; idque,

(1) Lib. 8. de pœnit., cap. 9. §. 14. n. 2.

juxta *Devert*, ut superesset quædam imago communionis sub utraque specie, sed veriùs ad oris purificationem. Hunc morem servant quædam Ecclesiæ, et notanter Carthusiani, illumque præscribunt moderna Romanæ Ecclesiæ missalia (1), sed jam communiter prætermittitur ob periculum effusionis et ob difficultatem quam hæc cæremonia pateretur sub magno populi concursu. Adde paupertatem multarum Ecclesiarum, et nauseam quam multi sentirent, si ex eodem vase vinum sumere tenerentur.

ARTICULUS XLIV.

De antiphona, quæ communicatio dicitur, usque ad orationem, placeat.

CELEBRANS, sumptâ secundâ purificatione, os purificatorio abstergit ex decencia naturali simul et ad auferendum à labiis quidquid sanguinis iis adhærere posset; deindè iisdem rationibus abstergit cuppam calicis, quem postea vestit omnibus suis ornamentis, supraque ponit bursam cum corporali ut ibi stet majori cum decore in finem missæ, sitque calix præparatus ad discesum celebrantis, missâ finitâ. Interim minister librum transportat ad cornu epistolæ: cùm fuerit post epistolam translatus ex cornu, oblationes populi, quæ olim deponerentur in hac parte altaris; ob infusionem vini in calicem ad offertorium; ob lotionem et extersionem manuum, quæ fiunt ibidem oblatis speciebus;

(1) De oratione dominica, tit. 10. n. 6.

necnon ob purificationem calicis cum vino et aqua, quæ itidem ibi peragitur : his causis cessantibus, liber defertur ad locum ubi prius erat, præsertim cum antiquitus, ut antè diximus, in cornu epistolæ sacerdos lavaret manus ante lectionem communionis ; ita ut, translato libro, ad idem cornu illum coram se inveniret ad missam proseguendam.

II. Coöperto calice ut suprà, celebrans, junctis manibus, salutatur, more solito, crucem, et transit ad librum, in quo legit clarâ voce communionem : porrò, communitio, de qua hîc, est versiculus è psalmis electus, et interdum pia sententia compositionis ecclesiasticæ. Olim intitulabatur *antiphona ad communionem*, quia infra communionem populi cantabatur ; indèque *communio* in nostris missalibus nuncupatur. Quando infra communionem populi canebatur, ut cantus in finem duraret, addebatur psalmus, qui, finita communitio et innuente celebrante rumpebatur, moxque chorus cantabat versum *Gloria Patri*, etc., *sicut erat*, etc., et deindè antiphonam repetebat. Si antiphona ad communionem erat versus ex aliquo psalmo, ei subjungebatur psalmus, è quo sumpta erat : undè in concilio Mediolanensi IV infra diuturnam populi communionem assignatur antiphona *Dominus dabit benignitatem*, et deindè psalmus *Benedixisti*, et si opus fuerit, adjicitur *Dominus regit me*. Si verò antiphona non erat è psalmis, post eam resumebatur psalmus ad introitum missæ positus (1). Hujus specimen aliquod nobis manet in

(1) Ita in antiphonario S. Gregorii.

missa de *requiem*, in qua communio componitur ex antiphona et versu, post quem antiphona repetitur, saltem quo ad sui partem.

III. De hoc prisco ritu cantandi antiphonam ad communionem cum psalmo, loquitur *S. Augustinus* (1) his verbis: *ut hymni ad altare dicerentur de psalmodum libro, sive ante oblationem, sive cum distribueretur populo, quod fuisset oblatum.* De eodem in Ecclesia Romana vigente dicunt ordines Romani I, II, et III (2), antiphonarium *S. Gregorii*; et *Mabillon* testatur (3) quid simile priscis temporibus in Galliis fuisse observatum. Indèque patet antiquitas hujus partis missæ: porrò usus addendi psalmum communioni perseveravit in sæculum XI; nam *Micrologus*, qui circa finem citati sæculi floruit, sic de eo loquitur (4): *interim, id est, infra populi communionem, cum antiphona cantatur, quæ de communionem nomen mutuavit, cui et psalmus subiungendus est, si necesse fuerit.* Hæc ultima verba usum morientem, sed adhuc respirantem, prædicant: undè paulò post neglecto psalmo, sola antiphona post communionem mansit legenda: *Rubertus* quippè (5), qui viginti annis post *Micrologum* scripsisse traditur, absque ullo respectu ad communionem populi, dicit antiphonam ad communionem esse gratiarum actionem ob oblatum sacrificium. *Durandus* sæculo XIII eodem modo loquitur (6) de hac antiphona, quam ipse

(1) *Retract.*, lib. 2. cap. 11.

(2) I. num. 21. II. num. 15. et III. num. 18.

(3) *De liturg. Gallic.*, lib. 1. cap. 5. n. 27.

(4) *De eccles. observ.* cap. 18.

(5) *De divin. offic.* l. 2. c. 18.

(6) *Lib.* 4. cap. 56.

vocat *postcommunione*, eò profectò, quòd amplius non cantaretur infra communionem populi, sed post illam : addit tamen ibidem in quibusdam locis, suo tempore cantatam fuisse reciprocando, id est, semel ab uno choro, et semel ab altero. Deindè in aliis omnibus libris subsequentibus antiphona pariter sine psalmo legitur. Reformatio hujus psalmi facta fuit ob multiplicatas nimis missas privatas, sub quibus communio non distribuebatur; simul et ob neglectum ejusdem communionis infra missas solemnes, his enim ex causis prolongatio antiphonæ per psalmum facta est non modò inutilis, sed et fastidiosa populo: adeòque meritò resecata.

IV. Lectâ communionem, celebrans redit ad medium altaris, moxque illud salutatur osculo; tum conversus ad populum extendens, more solito, manus, dicit : *Dominus vobiscum*, seu oraturus cum populo in ultimis collectis, ei apprecatur divinam assistentiam, ut orationi debite et fructuosè vacare queat, et cum hæc Dei assistentia non minùs sit sacerdoti, quàm populo necessaria, hic illi respondet : *et cum spiritu tuo*. Reversus ad librum, dicto *oremus*, recitat post communionem, id est, orationem, quæ proximè communionem sequitur, et quæ in antiquis libris *complenda* vel *oratio ad complendum* dicitur, eò quòd post illam populus olim dimitteretur, eoque dimittitur per *ite, missa est*. Si factæ sint commemorationes ante epistolam, tot hæc collectæ recitantur; et quidem eodem ordine et ritu; circa quod videri possunt ea quæ diximus agentes de collectis ante epistolam. Porrò in his orationibus sacerdos gratias Deo agit pro percepto corporis

et sanguinis Christi mysterio, et quærit ut fructus illius in cordibus maneat ad sui et populi sanctificationem et salutem. *Angelus Rocca* (1) habet postcommunem eos solos afficere, qui infra missam communicant; idque probat ex *Micrologo*, qui de hac re sic scribit (2): *oratio post communionem pro solis communicantibus solet orari. Walafridus* autem multò ante *Micrologum* idem docuerat (3), sed absque absoluta restrictione ad solos communicantes: *est, inquit, legitimum tempus communicandi ante ultimam orationem, quæ dicitur ad complendum, quia ejus petitio maximè pro iis est, qui communicant.* Si maximè ergo etiam pro aliis: et reverà ad verificationem postcommunem, satis esse videtur quòd fideles sacrificio adstantes spiritualiter communicaverint.

V. In missa feriali tempore quadragesimæ post ultimas collectas adjicitur *oratio super populum*. Olim non tantùm in quadragesima, sed et in aliis missis extra illud tempus dicebatur, uti patet ex codice Gelasiano, et Sacramentario *S. Gregorii* sæculi XII. Porrò hæc oratio fundebatur, ut populus non communicans infra missam, saltem non recederet absque spirituali fructu, seu

(1) In notis ad Sacrament. *S. Greg.* *Angelus Rocca*, natus est Roccæ in Italia anno 1545, professus est in ordine Augustianorum. Romam fuit advocatus à *Sixto V.* ut impressioni quorundam operum speculator adesset. Post mortem hujus Pontificis fuit sacrista *Clem. VIII.*, et episcopus titularis Tagastensis, mortuus est anno 1620. Scripsit de campanis et aliis rebus ecclesiasticis: omnia ejus opera Romæ impressa sunt in duobus tomis in-folio. Tractatus de campanis est curiosus, sed valdè rarus.

(2) Cap. 51.

(3) De rebus eccles., cap. 22.

absque benedictione aliqua, quæ per hanc orationem populo ministratur. Interim usus hodiernus habet, ut solo quadragesimali tempore dicatur; idque oritur ex prisco ritu cantandi vespers in quadragesima immediatè post communionem celebrantis, sic ut oratio vesperarum simul esset et missæ postcommunio: hujus vestigium superest in liturgia Romana sabbato sancto. Ut autem appareat quomodo id factum sit, sciendum est, quòd in sæculum XII usque missa sub jejunio quadragesimali cantaretur horâ nonâ, seu tertiâ nostrâ pomeridianâ, cui post communionem adjungebantur vespers, ac deindè refectio sequebatur. Adductâ autem refectione ad meridiem, missa manè cantata est, separatis ab ea vespers, sed harum oratio retenta est, ut super populum diceretur; ideoque oratio super populum et vesperarum diei est omninò eadem. Non autem dicitur in dominicis, quia olim, uti nunc observatur, his diebus non erat jejunium, et consequenter missa et vespers non commiscebantur. Aliam quoque hujus rationem assignat *Micrologus* (1) his verbis: *quia omnes, juxta attestationem S. Ambrosii, in dominicis diebus communicare deberent, quibus et oratio post communionem sufficere deberet.*

Præviè ad hanc orationem dicto *oremus*, celebrans facit ad populum hanc monitionem: *humiliate capita vestra Deo*, quâ auditâ, omnes adstantes genuflexi caput inclinant à principio in finem, ut humiliati coram Deo mereantur fructum orationis percipere.

(1) Cap. 57.

VI. Finitâ collectâ, seu ultimâ, quando plures sunt, celebrans redit ad medium altaris, quod in medio osculatur in signum salutationis, reverentiæ, et amoris erga Christum altari lapideo repræsentatum; deindè conversus ad populum, quem dimissurus est, specie quâdam urbanitatis ubique observatæ ab iis qui post conversationem à se recedunt, salutatur populum his verbis *Dominus vobiscum*; quibus apprecatur adstantibus, ut Deus in illis inhabitet, eos dirigat, et in vitam æternam conducat. Eâdem autem ratione populus valedicit sacerdoti, eique idem votum reddit his aliis verbis: *et cum spiritu tuo*. Tum plebs dimittitur hâc formulâ: *ite, missa est*, cui minister nomine omnium respondet *Deo gratias*. Sensus horum verborum non est omninò conspicuus; ideòque diversimodè redditur ab auctoribus; quidam enim sic illa explicant: *ite, missa est ad Deum Hostia, seu consummatum est opus sacrificii pro vobis oblata*. Audiamus hâc super *Amalarium* (1) in Ecloga: *postea, inquit, annuntiat diaconus ite, missa est. In Angelorum typo loquitur populo, qui dixerunt apostolis: Hic Jesus, qui assumptus est à vobis in cælum et reliqua. Quid est namque ite, missa est, fratres charissimi? nisi: ite cum pace ad domos vestras: legata est pro vobis ratio ad Dominum, et per Angelos, qui nuntii dicuntur, allata est in conspectum divinæ Majestatis*. Communissimè tamen alio sensu illa formula explicatur, accipiendo nempe *missa pro missione, aut dimissione populi*; ita ut sic exponi debeat; *ite, est dimissio, seu ite, fit vobis facultas disce-*

(1) Lib. 5. cap. 56.

dendi. *Missæ*, inquit *Alcuinus* (1), *nihil aliud intelligitur, quàm dimissio*, id est, *absolutio*, quam celebratis omnibus, tunc *diaconus* esse pronuntiat, cum *populus à solemni observatione dimittitur*. Hic observari meretur sacrificium corporis et sanguinis Christi ab hac parte, seu à populi missione, nomen sortiri, seu missam appellari.

A missa sabbati sancti usque ad sabbatum ante dominicam in albis, ad lætificandum populum sub Solemnitate Paschali à sacrificio recedentem duo *alleluia*, *ite*, *missa est* et *Deo gratias* adduntur. Hic ritus, in quibusdam locis, usque ad festum Trinitatis, id est, toto tempore Paschali observatur, et notanter in Ecclesia Leodiensi, saltem ubi ritus proprius diœcesis viget, in triplicibus, triplex *alleluia* additur, in duplicibus, duplex, et in missis ritûs inferioris unum tantum ponitur.

Populus respondens hic *Deo gratias* super sacrificio pro se oblato, et cui meruit præses adesse, imitatur apostolos, qui post gloriosam Christi in cœlum Ascensionem, et perceptam ab eo benedictionem, *adorantes regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno*. (2)

VII. Usus dimittendi populum, oblato sacrificio, est vetustissimus; in constitutionibus apostolorum (3) refertur hæc formula, quâ populus dimittebatur: *ite in pace*. Hujus etiam mentionem facit *Tertullianus* (4): *post*, inquit, *transacta solemnia, dimissâ plebe. Ite, missa est*, legitur

(1) De div. offic. cap. 11. in fine.

(2) *Luc.* cap. 24. v. 51. et 52.

(3) *Lib.* 8. cap. 15.

(4) *Lib.* de anima, cap. 9.

in primo ordine Romano, et aliis subsequenti-
bus, et de eo verbum faciunt antiqui auctores
Alcuinus, *Amalarius*, *Rabanus Maurus* et alii.
Apud Græcos populus dimittitur his formulis :
ite in pace, vel *procedamus in pace*, aut *in pace*
Christi eamus. Apud Mozarabos in festis sole-
mnibus dicitur : *solemnia completa sunt in no-*
mine Domini nostri Jesu Christi, votum nostrum
sit acceptum cum pace, et in minùs solemnibus :
missa acta est in nomine Domini nostri Jesu Chri-
sti, procedamus in pace, cui respondetur *Deo*
gratias.

VIII. Quando in missa non dicitur hymnus
angelicus, loco *ite, missa est*, celebrans [conver-
sus ad altare, quia Deum allocuturus est, dicit
benedicamus Domino. In missis autem de *requiem*,
sacerdos intentus refrigerio defunctorum, orat
pro ipsis, et loco formulæ *ite, missa est*, facie
pariter versâ ad altare, dicit : *requiescant in pace*,
et populus approbans et confirmans hanc ora-
tionem, respondet *amen*. Hæc oratio semper fit
in plurali, licet pro uno particulari defuncto ce-
lebretur, quia ex intentione Ecclesiæ est oratio
communis in omni missa.

Ante sæculum XI, in omni missa de die et
de sanctis, sive hymnus angelicus diceretur sive
non, præscribebatur dicendum, *ite, missa est* ;
quod patet ex ordine Romano I (1), ubi ha-
betur *ite, missa est*, in missa feriæ iv. in initio
quadragesimæ; pariter et in missis feriæ ij, iv,
vj et sabbato per totam quadragesimam. Primus,
qui scitur mentionem fecisse *benedicamus Do-*

(1) Num. 24.
Tom. IV.

mino, est *Micrologus*; sic autem de eo loquitur (1): *his ita finitis, subsequitur, benedicamus Domino, vel ite, missa est; si tamen aliquod festum fuerit, quod Gloria in excelsis habere debuerit.* Porro dicitur *benedicamus Domino* in missis in quibus omittitur hymnus angelicus, quia tales missæ sunt minùs festivæ. Imò dum celebrantur in paramentis violaceis, sapiunt mœrorem; cùm autem dimissio populi præ se ferat aliquam solemnitatem et lætitiã, uti patet in missis solemnibus, infra quas cantatur *ite, missa est* tono festivo et læto, et maximè in missis Paschalibus, infra quas duplex *alleluia* ei additur; ideò in illis subicitur populi dimissio, et loco illius dicitur *benedicamus Domino*, quod talibus missis magis est accommodatum.

Cur dicta formula *ite, missa est* etiam in missis de *requiem* omittatur, ratio per se patet; quia nempè post illas missas sæpè sequitur absolutio, cui convenit ut populus adsit, ideòque non dimittitur. Hâc ratione olim, prout testatur *Durandus* (2), in quibusdam locis sub prima missa Nativitatis Domini, dicebatur *benedicamus Domino*, licèt in ea dictus esset hymnus angelicus, quia sequuntur laudes, quibus intendit Ecclesia fideles adesse. Idque nunc præscribitur in ritu Ecclesiæ Leodiensis.

(1) Cap. 19.

(2) Lib. 4. cap, 57. n. 5. et 7.

ARTICULUS XLV.

De oratione placeat, et benedictione populi.

I. DICTO *Deo gratias*, olim absolutum erat sacrificium, sic ut posset mox populus exire, et reverà his verbis *ite, missa est*, finis sacrificii importatur. Hic ritus perseveravit in nonnullis locis usque in sæculum XV. Hanc praxim sæculo XI viguisse testatur *Micrologus*, his verbis: *finità Missà*, seu post missam dicit: *placeat tibi, sancta Trinitas*; adeòque hæc oratio habebatur tunc ut oratio privata sacerdotis. Idem dicunt, referentibus *Lebrun*, *Alexandro Alensi* initio sæculi XIII, et *Radulpho Tungrensi* initio XV, missalia quamplura ante sæculum XVI. Undè *Carthusiani* missam concludunt per *ite, missa est*, et si dicant post dimissionem populi orationem *placeat*, considerari debet ut oratio privata; id evinci potest ex eorum missa solemnè, post quam sequitur Hora cantanda; in illo casu celebrans dicto *ite, missa est*, intonat *Deus in adjutorium*, et postea facit orationem *placeat*. Usus autem modernus *Ecclesiæ Romanæ* et aliarum habet ut post *ite, missa est* quædam adjiciantur, nempè oratio *placeat*, benedictio populi, et evangelium *S. Joannis*, aut aliud; hæc primò devotione particulari fuerunt missæ adjecta, sed jam approbatione legitimâ ingrediuntur in missæ substantiam. Sed dices: Quomodò factâ populo licentiâ discedendi per *ite, missa est*, stare potest obligatio hæc addita audiendi? Verba hæc *ite, missa est*, quæ per se important licentiam statim dis-

cedendi, et reverà olim importabant, nunc quadam cum restrictione sunt intelligenda, hoc nempè sensu, *ite, missa est*, auditis tamen paucis, quæ currunt in finem ultimi evangelii.

II. Resumendo jam cursum liturgiæ modernæ, responso *Deo gratias*, sacerdos deponit manus junctas in altare, et inclinato capite, secretò recitat orationem *placeat*. 1.º Manus deponit in altare, ut se Christo uniat ad orandum. 2.º Manus tenet junctas, et caput inclinatum per modum supplicis coram SS. Trinitate, quam pro se et aliis interpellat. 3.º Legit secretâ voce, tum quia hæc oratio olim erat privata, ut antè dictum est, tum quia in missa solemni cautus *Deo gratias* redderet vocem altam inutilem.

Hæc oratio quamdam omnium precum sacrificii recollectionem summariam continet. 1.º Sacerdos declarat quâ intentione sacrificaverit, nempè ad recognoscendam suam servitutem coram SS. Trinitate, seu ad finem primum sacrificii quâ Latreutici: *placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ*. Deindè timens, ne ob pravam suâ dispositionem sacrificium oblatum Deo displicuerit, supplicat, ut suæ indignitatis immemor illud acceptum habere dignetur: *et præsta, ut sacrificium, quod oculis tuæ Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile*. Tandem orat ut, divinâ favente misericordiâ, pro se et aliis consequatur effectum sacrificii quâ propitiarii pro peccatis: *mihique et omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile, per Christum Dominum nostrum. Amen*. Cùm de his ultimis verbis actum sit in ordine missæ, nihil ultrà hic adjiciemus.

Hæc oratio, paucis immutatis, invenitur in missa *Illyrici*, hancque scriptam in omnibus fermè missalibus exaratis ante annum 1000 testatur cardinalis *Bona* (1). Notatur deindè dicenda in ordine Romano XIV, et tandem in missali reformato sub *S. Pio V*, in quo præscribitur ut pars missæ, cui fideles adesse debent. Ante tempora hujus Pontificis non constat ubi, et quando ut pars missæ habita fuerit, certum est solummodò ex antedictis, quòd in multis locis consideraretur ut oratio privata sacerdotis.

III. Dicto *placeat*, celebrans osculatur altare in signum amoris erga Christum, et ad captivandam ejus benevolentiam, ut effundat in populum largissimam benedictionem. Deindè elevans manus et oculos ad crucem, dicit: *benedicat vos omnipotens Deus*. Hi gestus oculorum et manuum ad imaginem Christi in cruce, innuunt hanc benedictionem Deo competere, et sacerdotem ab eo illam exspectare. Post citata verba, celebrans caput humiliat coram cruce, ut moris est, dum ab ea avertit faciem, ut se convertat ad populum. Conversus itaque format crucem manu dexterà in adstantes, dicens clarà voce: *Pater, et Filius, et Spiritus sanctus*, cui minister respondet *amen*, nomine totius plebis. Sacerdos crucem facit, ut exhibeat populo causam meritoriam omnis humanæ benedictionis; exprimit autem tres personas SS. Trinitatis, quia effusio cœlestis benedictionis est actus communis Patri, Filio, et Spiritui Sancto.

(1) Lib. 2. cap. 20. §. 3. in fine.

IV. In Ecclesia Græca à primis sæculis usis viguit benedicendi populo in fine sacrificii: forma hujus benedictionis legitur in constitutionibus apostolorum (1), præscribiturque danda post populi dimissionem. Pariter in liturgiis SS. *Chrysostomi* (2) et *Basilii* (3) forma benedictionis post *ite, missa est* invenitur. Ast in Ecclesia Occidentali ante annum 1000 nullum exstat in ritualibus et sacramentariis monumentum talis benedictionis, nec in Auctoribus qui sæculo IX scripserunt de liturgia, ut *Amalarius*, *Florus* et *Walafridus*. Equidem in tribus primis ordinibus Romanis (4) legitur *descendente autem illo*, nempè Pontifice, ex altari post missam *in presbyterium*, *episcopi primum dicant: Jube, domne, benedicere. R. Pontifex benedicat nos Dominus. R. amen*; sed ut advertenti patet, hæc benedictio ad missam, utpotè jam finitam, non spectabat. Indèque verosimiliter floruit usus Ecclesiæ Leodiensis benedicendi populo, non solum post *ite, missa est*, sed in missa solemnè post evangelium *S. Joannis* hæc formulâ: *à subitanea et improvisa morte liberet nos Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen*. Cui certis diebus præmittuntur antiphona de pace, *ŷ. Fiat pax in virtute tua*, et *ŷ. Et abundantia*, etc., necnon collecta de dicta pace.

Mos igitur benedicendi populum in fine missæ nasci tantum potuit circa sæculum X, de illo quippè primò loquuntur *Micrologus* (5), et *Guido*

(1) Lib. 5. cap. 15. p. 406.

(2) Euch. Græc. p. 85.

(3) Ibidem, p. 173.

(4) Ord. I. tit. 1. n. 21. ord. II. n. 15. ord. III. n. 18.

(5) Cap. 21.

abbas, qui sæculo XI in Italia floruit, his verbis: *hinc et illa consuetudo... ut... etiam presbyteri post finem missæ benedicant, ne populum ita benedictione, ut communione privatum discedere permittant.* Beleth tamen de ea omninò silet: undè colligitur hanc praxim non fuisse universalem, sed particularium Ecclesiarum. Imò nec hodie est generalis, nam in multis Galliæ Ecclesiis nulla in fine missæ benedictio; et notanter Lugduni, Augustoduni, Lingonis, Senonis, Antissiodori, Trevis, Vesuntione, Veroduni, Remis, Snessionibus, et Lauduni (1). Pariter ordo Carthusianorum, qui suos ritus è Galliis hausit, hanc benedictionem nescit: specialique ratione eam non acceptavit; cùm enim religiosi in Ecclesiis suis celebrent absque ulla populi frequentia, hæc benedictio in ipsorum liturgia redundasset: nuperrimæ tamen eorundem Constitutiones (2) sic statuunt: *sacerdotes nostri ordinis dum celebrant in Ecclesiis, quæ non sunt de ordine nostro, conforment se cum aliis sacerdotibus, in modo confessionis faciendæ ante altare, in elevatione calicis, in dicendo Agnus Dei, in benedicendo populo post missam, et in cæteris quæ sine scandalo omitti non possunt.*

V. Consuetudo hujus ultimæ benedictionis, cùm introducta fuerit devotione particularium, et paulatim de Ecclesia in Ecclesiam transierit, naturaliter fuit exposita variationibus; et reverà, juxta *Durandum* (3), sæculo VIII. fiebat ante

(1) Ita *Lebrun*. Expl. cær. miss. p. 6. art. 4. §. 2.

(2) Ordinar. Carthus., cap. 52. n. 16.

(3) Lib. 4. cap. 59.

orationem *placeat*, ibique facienda designatur in ordine Romano XIV (1). Præterea usque ad medium sæculi XVI ab omnibus ter benedictio repetebatur, dicendo: Pa ✠ ter, et Fi ✠ lius, et Spiritus ✠ Sanctus, eodem modo, quo jam episcopi solent benedicere; idque ut benedictio meliùs diffunderetur in adstantes. Hujus trinæ benedictionis meminit ordo missæ à *Burchardo* editus, et Romæ impressus circa finem sæculi XV. *S. Franciscus Salesius* in suo rituali anni 1612 præscribit, ut saltem cum SS. Sacramento ter populo benedicatur, quod observatur in Ecclesia Parisiensi, item Aquisgrani; juxta antiqua Ecclesiæ Leodiensis missalia, ritus trinæ benedictionis super populum sub missa principali præscribitur. Verùm *S. Pius V* usum ter benedicendi in missis privatis abrogavit; illumque confirmavit pro solis missis solemnibus (2). *Clemens* autem VIII trinam hanc benedictionem absolutè extinxit, tum in privatis, tum in missis solemnibus respectu presbyterorum, eamque reservavit solis episcopis; 1.º Ut esset distinctio inter principes Ecclesiæ et simplices presbyteros. 2.º Ad majorem missæ episcopalis dignitatem. Tandem quia officiante episcopo numerosior solet adesse populus, in quem ut sensibiliùs diffundatur, ter à dextris et sinistris, ac in medio crux repetitur.

Quoad formam hujus benedictionis in pluribus antiquis missalibus Germaniæ hæc legitur: *adjutorium nostrum*, etc. *sit nomen Domini*, etc. *Oremus cœlesti benedictione benedicat nos et vos di-*

(1) Num. 53. in fine.

(2) In missali Romano, anni 1587.

vina Majestas, et una Deitas Pater ✠, et Filius ✠, et Spiritus ✠ sanctus. Amen; estque forma in Ecclesia Aquisgranensi nunc usitata. In missalibus antiquis Ecclesiæ Parisiensis, seu sæculi XIV et XV præscribitur benedictio populi facienda à sacerdote in manu habente calicem vel patenam, et juxta missalia Ecclesiarum Remensis, Carnotensis anni 1500, Bellovacensis 1538, etc., notatur signum crucis cum patena formandum. In quibusdam locis adhibebatur corporale: porrò hæc instrumenta olim fuerunt adhibita ad benedicendum populo, quia contactu corporis seu sanguinis Christi sanctificata reputantur, et consequenter apta ad diffundendam benedictionem in populum. In Ecclesia Narbonensi hæc benedictio datur cum parva cruce: verùm ferè ubique fit manu sacerdotali, quæ ad hoc fuit inuncta sub ordinatione, quæque mox fuit sanctificata tactu corporis Christi.

VI. Si hujus benedictionis ratio quæretur, dici potest cum *Durando* ad exemplum Christi ascendentis in cælum fuisse institutam; de eo quippè cantat Ecclesia: *et elevatis manibus benedixit eis* (1), *et ferebatur in cælum*, quâ benedictione perceptâ, cùm nubes suscepisset eum ab oculis eorum, reversi sunt in Jerusalem. Porrò in missa pluries fit mentio Ascensionis Christi, illaque signatur Specierum elevatione: assumptio autem illius ab oculis eorum per nubem repræ-

(1) Elevatis manibus non in cælum per modum orantis, sed super discipulos, quo ritu *Aaron* benedixit filiis Israël. Lev. c. 9. v. 22. ubi dicitur: Et extendens manus ad populum benedixit ei; porrò effectus hujus benedictionis fuit illos in pietate ferventes custodire in adventum Spiritûs Sancti.

sentatur per communionem, quâ Christus recedit à conspectibus adstantium; congruè igitur sacerdos fideles in fine signat, ut benedicti à Domino in domos suas revertantur Deo gratias agentes cum apostolis, qui à monte Oliveti cum pace et laude reversi sunt in civitatem, et ingressi sunt cœnaculum dona ampliora à Deo expectantes.

VII. In missis de *requiem*, hæc ultima benedictio, quâ festiva et sollemnis omittitur. In diocesi tamen Claramontensi, sive celebretur pro vivis, sive pro mortuis in paramentis nigris, sacerdos, more solito, benedicit populo. Imò et in missali Romano Venetiis impresso anno 1563 habetur: *in missa pro defunctis.... benedicat populum, dicens: Deus vita vivorum, et resurrectio mortuorum, benedicat vos in sæcula sæculorum. Amen.*

ARTICULUS XLVI.

De ultimo evangelio.

I. Post benedictionem populi, nihil sacerdotem ad medium retrahente, viâ breviori, id est, per suam dexteram conficiens circulum transit ad cornu evangelii, ubi sub cæremoniis antè relatis art. XI, legit evangelium *S. Joannis*, vel aliud certis diebus, de quibus infra. Adverti tamen debet 1.º quòd celebrans dicens: *initium S. Evangelii secundum Joannem*, possit signare prima verba evangelii in tabella, vel altare (1). Hæc rubrica ortum ducit ex antiquo ritu, quo sacer-

(1) Miss. Rom. rit. celeb. miss., tit. 12. n. 1.

dos se exuens in cornu dextro altaris memoriter recitabat evangelium *S. Joannis*; sic ut, defectu sacri textûs, altare quod Christum repræsentat, signaret. Exposito SS. Sacramento in altari, præ reverentia erga Christum ibi præsentem, signari debent prima verba evangelii, si adsit coram celebrante, aliàs hoc signum crucis omittitur. Hunc ritum auctores deprompserunt è rubrica feriæ V majoris hebdomadæ, quæ habet, ut suprâ, quia sacramentum manet in altari. 2.º Post finem evangelii, celebrans nec librum osculatur, nec dicit *per evangelica dicta*, etc., quia, ut suprâ dictum est, olim sine libro hoc evangelium legebatur. 3.º Dicens: *et Verbum caro factum est*, quibus refert mysterium profundissimæ humiliationis Verbi incarnati, congruè seipsum humiliat genuflectens usque ad terram.

II. Quando in dominica, feria majore, aut vigilia, fit missa festiva de Sancto, loco evangelii *S. Joannis* ponitur in ea evangelium dominicæ, dictæ feriæ aut vigiliæ, cùm enim hoc contineat instructionem diei convenientem, rectè substituitur evangelio *S. Joannis*, quod præ usu quotidiano in ore et memoria omnium versatur.

III. Lectio S. evangelii secundùm *Joannem* in fine missæ est novissimæ institutionis; tribuitur quippè *S. Pio V*; sic enim legitur in ipsius vita apud *Guillelmum Burium* (1): *inter alia ordinavit in fine missæ à sacerdotibus dici evangelium S. Joannis, quod antè non ex mandato, hinc indè dicebatur*: ante igitur tempora *S. Pii V*, et quidem à pluribus sæculis dictum evangelium legebatur; con-

(1) In notitia brevi Rom. Pontif., de vita *S. Pii V*.

stat enim initio sæculi XI quosdam viros ac nonnullas matronas consuevisse singulis diebus audire evangelium *S. Joannis*, quod, cum fieret præter Ecclesiæ ritum, prohibuerunt Patres concilii Salenstadiensis anno 1012 (1) his verbis: *quidam etiam laïcorum, et maximè matronæ habent in consuetudine, ut per singulos dies audiant evangelium, In principio erat Verbum, et missas peculiare, hoc est, de SS. Trinitate, aut de S. Michaële, et ideo sancitum est in eodem concilio, ut hoc ulterius non fiat nisi suo tempore, et nisi aliquis fidelium audire velit pro reverentia SS. Trinitatis, non pro aliqua divinatione.* Verba hujus concilii exstant in libro III decretalium (2), verùm quod tunc fuit prohibitum, rectâ devotione cœpit frequentari sæculo sequenti; in missali quippe FF. Prædicatorum, scripto anno 1254, quod citat *Lebrun* (3), proponitur evangelium *S. Joannis* post missam legendum, juxta devotionem celebrantis. *Durandus* (4) anno 1286 sic habet: *quidam volentes dicere, finitâ missâ, evangelium S. Joannis, vel aliud, imprimunt primò signum crucis super altare et postea in fronte.* In statutis Carthusianorum anni 1568 (5) præscribitur evangelium *S. Joannis* legendum in missa sicca de Beata, quam religiosi singulis diebus post Primam vel Tertiam in suis cellis recitant. Præterea citatus *Lebrun*, loco suprâ designato, multa congerit missalia, sæculi XIV et XV, in quibus proponitur evangelium

(1) Cap. 10. conc., tom. IX. pag. 846.

(2) Cap. Quidam 11. de celeb. miss.

(3) Explic. cær. miss., pag. 6. art. 5 §. 2.

(4) Lib. 4. cap. 24. n. 5.

(5) Part. 1. cap. 5.

S. Joannis legendum vel in altari, vel in reditu, aut in sacristia; et in constitutionibus antiquis Societatis *Jesu* præscribitur evangelium *S. Joannis*, vel hoc de Beata, loquente *Jesu ad turbas*, in fine missæ recitandum. Tandem, magis ac magis crescente fidelium devotione ad audiendum hoc evangelium, qui et illius lectionem supra se contra morbos requirebant, *S. Pius V*, post medium sæculi XVI hoc evangelium induxit in liturgiam Romanam, lectionem illius præcepit, et statuit idem evangelium esse recitandum in altari ad concludendum missæ sacrificium. Hæc Piana constitutio, quamvis sit ferè ubique recepta, etiam in Ecclesiis quæ habent ritum specialem, tamen locum nondùm invenit in liturgiis Cassinensium, monachorum Germaniæ, Cluniacensium, Cisterciensium, et Carthusianorum, in quibus nulla mentio, juxta *Martene* (1), evangelii *S. Joannis* in missa legendi. Lugduni, Remis, Metis, et in pluribus aliis Galliæ Ecclesiis nunc dicitur infra reditum ab altari in sacristiam; Claromontii recitatur ad portam sacristiæ, Lauduni et Lingonibus in sacristia. In cæremoniali episcoporum sic præscribitur: *Episcopus, depositâ mitrâ, dicit Dominus vobiscum submissâ voce, et facto crucis signo super altari, dicit initium S. evangelii secundum Joannem, quod prosequitur procedendo mitratus ad locum ubi à principio accepit paramenta.* Ulteriùs qui solemniter celebrat in Pontificio sacello, evangelii *S. Joannis* lectionem omittit: undè constitutio *S. Pii V*, suas etiam in liturgia Romana habet exceptiones.

(1) De antiq. monachorum rit., lib. 2. cap. 4. n. 19.

IV. Lecto evangelio , absolutè concluditur sacrificium hoc responso ministri , quod fit nomine totius populi , *Deo gratias* , et in quo subintelligitur *agimus*. Hæc verba continent accentum naturalem hominis beneficiati recedentis à conspectu sui benefactoris : cùm igitur fideles lectione evangelii perceperint Verbi divinitatem, omnipotentiam, incarnationem , etc. ideò pro tanto divinæ illuminationis beneficio , quod Deus non fecit taliter omni nationi , grates rependunt dicentes : *Deo agimus gratias*. Quo audito , celebrans redit ad medium , caput cruci inclinatur , et accepto calice descendit. Extra gradus altaris , renovat coram cruce altaris profundam capitis inclinationem ; si verò sit tabernaculum cum corpore Christi , exhibet coram eo genuflexionem : hæc salutatio fundatur in usu Romano , qui habet ut post conversationem ab alio recedens ipsi reverentiam quamdam exhibeat.

Sed quæri hic potest quare celebrans accedens ad altare se profundè inclinet corpore ante crucem ; recedens verò ab illo caput tantùm humiliter ? Hujus sequens ratio reddi potest , quia nempe post missam sacerdos in corpore suo Christum realiter portat et consequenter dedecet Christum cum corpore ipsius sacerdotis humiliari coram sui figura in cruce ; ideòque missale tantùm hic præscribit capitis inclinationem.

Celebrans erectus à dicta inclinatione , vel genuflexione si sit tabernaculum continens sacras Species , caput birreto coöperit , quia utrâque manu calicem portat ; aliundè non dedecet Dei legatum coram plebe tectum ambulare. Incedens autem submissâ voce recitat canticum trium pue-

rorum fornacis Babylonicae : *Benedicite omnia opera Domini Domino*, et cætera quæ in missali sequuntur. Hæc oratio, quâ sacerdos cælum et terram et omnia quæ in eis sunt opera invocat, ut secum et pro se Deo benedicant super actione sacrificii consummata, optimè sonat in ore ipsius ad testandam animi sui gratitudinem. Sed quâ ratione induci possunt ad hoc animalia ratione carentia, et entia inanimata? In primis dicta animalia miram habent corporis structuram, instinctus naturales, quibus provident vitæ propriæ, et speciei conservationi; multa ex illis à natura eleganter vestiuntur: hæc autem tot sunt linguæ, quibus prædicant gloriam sui conditoris, sui motoris, conservatoris, et provisoris. Idem entia inanimata etiam vocem suam habent, quâ continuò prædicant Dei virtutem; terra enim adaperiens sinum fœcundum, undè producuntur arbores, plantæ, flores, etc. annuntiat immensas Dei divitias; motus autem solis, lunæ, et omnium astrorum, quæ super capita in vorticibus immensis miro ordine et incredibili rapiditate à tot sæculis absque ulla alteratione ambulaut, manum invisibilem Dei omnipotentis sibi adjacentem innuunt: undè David (1) ait: *cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Dies diei eructat verbum*, id est, dies deficiens diei sequenti vices committit, ut in suo cursu Dei gloriam prædicet viventibus; *et nox nocti indicat scientiam*, hoc est, nox percussa solis spiculo scientiam laudandi Deum dimittit nocti sequenti. Hiuc patet quâ

(1) Psalmo 18.

ratione induci valeant omnes creaturæ ad Deo benedicendum.

V. Hæc gratiarum actio est vetustissima ; illius meminit *Illyricus* in ordine missæ, qui refertur ad sæculum VII : ponit quippè inter preces ab episcopo redeunte recitandas hymnum trium puerorum, psalmum *Laudate Dominum*, omnes gentes, *Laudate Dominum in sanctis ejus*, orationem dominicam et alias preces, iis similes quas recitamus. In sacramentario Vaticano sæculi XII præscribuntur : *Te Deum*, *Benedicite*, *Laudate Dominum in sanctis ejus*, et deindè aliquot versiculi et orationes. *Durandus* (1) sæculo XII habet canticum *Benedicite*, psalmum *Laudate*, et versum *confiteantur*. Sæculo sequenti in ordine Romano XIV (2), eadem gratiarum actiones quas nunc agimus, præscribuntur, easque confirmavit *S. Pius V*, sic ut sacerdotes pro sua devotione et libitu alias substituere non possint. Hæc tamen non in omnibus liturgiis sunt recepta, nam missale Carmelitarum sacerdoti à sacrificio reverenti præscribit *Te Deum*, etc., et ordinis Carthusianorum *Pater* et *Ave*.

ARTICULUS XLVII.

De sensu evangelii S. Joannis.

ANTEQUAM intremus in sensum hujus partis sacrificii, non abs re erit, verbum habere de nomine ipso *evangelii* : *evangelium* ergò vox Græca est, quæ latinè reddi potest lætum faustumque

(1) Lib. 4. cap. 59. n. 9.

(2) Num. 53. in fine.

nuntium, usuque communi ita accipitur ut significet nuntium, quo nullum lætius, optabilius ac utilius generi humano adferri potuit; et verâ liber evangeliorum nobis exhibet Christi adventum, nativitatem, prædicationem, passionem, mortem resurrectionem, etc., quibus nos liberavit à morte æterna, et portas regni cœlestis nobis aperuit, proindèque liber ad eò jucunda continens, rectè *evangelium* dicitur.

I. Sic incipit evangelium *S. Joannis*: *In principio erat Verbum*. Principio nonnulli intelligunt Patrem, sic exponentes sensum propositionis, in Patre erat Verbum. Verùm communiter *principio* intelligitur initium temporis: ita ut sensus sit, in principio temporis, ante existentiam cujusvis creaturæ, *erat* in præterito, quasi diceretur jam *erat Verbum*, id est, Filius Patris æterni, seu secunda persona SS. Trinitatis: porrò hîc Filius vocatur Verbum, quia est imago perfecta ipsius Patris, hæcque imago est Verbum divinæ mentis, seu Patris; ut hoc melius capiatur, sciendum est, quòd Pater ab æterno se, seu suam essentiam intellexerit; se autem intelligendo genuit perfectam sui imaginem; eodem modo quo homo verbum faciens, imaginem format illius quod habet in mente. Hæc igitur imago Dei seipsum concipientis est Verbum, seu secunda SS. Trinitatis persona.

II. *Et Verbum erat apud Deum*. Non dicitur erat in Deo, ne Verbum accidens aliquod credatur, sed apud Deum, ut significetur aliquid per se subsistens, seu persona à Patre distincta; nam quod per se non subsistit, non dicitur apud aliud esse, sed in alio per modum accidentis.

III. *Et Deus erat Verbum*, in præcedenti versu prædicata est Verbi distinctio à Patre, et in hoc adstruitur illius Divinitas: ut autem præsentis propositionis constructio legitima fiat, ly *Verbum* debet fieri subjectum propositionis, dicendo: *Et Verbum erat Deus* (1); adeoque unius ac ejusdem naturæ ac Pater.

IV. *Hoc erat in principio apud Deum*. Ne antedicta intelligerentur de diversis verbis, per epilogum superiora recolliguntur, et ostenditur idem esse Verbum, quod dictum est fuisse *in principio*, et *apud Deum*.

V. *Omnia per ipsum facta sunt, et sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Postquam dixit evangelista de Filio in se, et respectivè ad Patrem, de eodem jam dicit relativè ad creaturas; universa, inquit, in cœlo et in terra, visibilia simul et invisibilia facta sunt per ipsum, non quasi per instrumentum, sed per ipsum quâ causam principalem. Hinc necessariò sequitur Verbi æternitas, nam si omnia per ipsum facta sint, ipsum non fuit factum; adeoque est æternum, cum nihil mediet inter tempus, in quo omnia producta sunt, et æternitatem. *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Hæc verba continent priorum explicationem, important quippè omnia omninò absque ulla exceptione à Verbo facta fuisse. Et juxta subtilem *S. Hilarii* animadversionem dicendo: *sine ipso factum est nihil*, significatur alterius agentis concomitantia, seu quòd nihil factum sit à

(1) Ita habet textus Græcus juxta *Jansenium Gandavensem* in concordiam evangelicam, cap. 1. et alios passim in lingua Græca eruditos.

Patre et Spiritu sancto, sine Verbo seu Filio, et reverà in constructione mundi tota simul SS. Trinitas operata est juxta illud psalmi 32 : *Verbo Domini cæli firmati sunt, et Spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

VI. *In ipso vita erat, et vita erat lux hominum.* In ipso vita erat, non tantùm propria quâ ipse vivit, se cognoscit et omnia quæ conveniunt, vel disconveniunt creaturis; sed et causalis, quâ homines vitam accipiunt et lumen rationis ad se rectè dirigendos. *Et vita erat lux hominum*, seu Verbum vivens, et in quo erat insita lex æterna, erat lux hominum per emanationem quamdam legis æternæ in mentes eorum. Hæc emanatio lex est naturalis, quâ homines videre possunt quid sibi conveniat vel disconveniat, sicque illuminati, ac gratiâ adjuti valeant ad portum salutis pervenire.

VII. *Et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt.* *Et lux*, æterna scilicet, et naturalis in tenebris, seu cæcis peccatorum cordibus fulget, et tenebræ, seu homines peccatis et vitiis excæcati lumen illud non perceperunt.

VIII. *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Joannes.* Præmissâ hominum corruptione transit evangelista ad divinam erga homines providentiam, quos ut eriperet de tenebris, misit hominem miraculosæ nativitatis, et extraordinariæ sanctitatis, cui nomen erat *Joannes* (1), non humanitùs, sed divinitùs ante circumcisionem impositum, ac sonans gratiam Dei, ad quam, ut præcursor Messiæ, animos Judæorum præparavit, prædicans eis adventum re-

(1) Huic nomini additum est *Baptista* ad ejus officio, quod erat baptizare.

demptoris, et baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

IX. *Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum.* In hoc versu explicatur causa missionis Joannis Baptistæ. Hic quippè venit in testimonium, seu in testem omni exceptione majorem, cui omnes fidem adhiberent, ut testimonium perhiberet de lumine, seu Christo, quem non modò futurum cecinit, sed et præsentem monstravit, dicens: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi. Ut omnes crederent per illum*, seu per ipsius prædicationem, in Messiam. Equidem præcursor solis Judæis Christum præsentem monstravit, sed per Judæos, nempè apostolos et eorum successores, Christi fides in omnem terram transivit, et ad omnes gentes pervenit.

X. *Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine.* Ne nasceretur suspicio de divinitate Joannis de qua Lucae 3, expressè dicitur eum lucem non fuisse, scilicet, æternam, seu non fuisse Deum, sed lucernam et præconem, qui testimonium redderet de vero et æterno lumine, nempè de Christo.

XI. *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Confirmatur prius dictum, scilicet Joannem non fuisse lucem, eò quòd ante tempus sancti præcursoris esset lux vera, primogenita, increata et æterna, quæ ab origine mundi illuminat omnem hominem nascentem per infusionem luminis naturalis et gratiæ.

XII. *In mundo erat, et mundus per ipsum factus est, et mundus eum non cognovit.* Præviè ad incar-

nationem Verbi, lux æterna, seu Deus, erat in mundo præsens secundùm suam essentiam ubique diffusam; mundusque erat opus manuum illius. Attamen mundus eum non cognovit, id est, homines vitiis et passionibus excæcati noluerunt Deum suum et mundi Conditorem agnoscere: hæc autem ignorantia certò fuit culpabilis, quia mirabilis hujus universi dispositio clamat Deum esse suum creatorem; ita ut homo ratione utens facilè in Dei notitiam venire possit; undè Sapiens ait: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, et hoc quod continet omnia*, id est, hic orbis universus, qui comprehendit cælum et astra, terram et omnia quæ vivunt super eam, *scientiam habet vocis*, quàm hominibus intimat Dei existentiam et illius ubique præsentiam.

XIII. *In propria venit, et sui eum non receperunt*, ut homines in tenebris ambulantes efficacius illuminarentur, Deus, seu secunda SS. Trinitatis persona, quæ Verbum dicitur, in propria venit, id est, in orbem terrarum à se conditum; utque ab hominibus videretur, induit formam hominis, et ut Messias haberetur, suam Divinitatem innumeris prodigiis et miraculis probavit; et sui, id est, Judæi, qui ipsius erant, non modò titulo creationis, sed et adoptionis in populum, cui crediderat eloquia sua, et ad quem miserat prophetas, qui adventum suum prædicarent, eum non receperunt, nec agnoverunt, imò miracula, doctrinam, et personam ipsius impugnârunt.

XIV. *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Quotquot in hoc versu clarè importat Chri-*

stum venisse, non ut aliquot, sed ut omnes salvaret. Quotquot ergo, seu omnes, sivè ex Judæis, sive ex gentilibus, qui eum, nempe Christum, ut Messiam receperunt seu agnoverunt, ac ut talem adoraverunt, hoc est qui crediderunt in ipsum, seu in nomine ejus, dedit eis potestatem seu gratiam, vel ut sonat textus Græcus dignitatem seu excellentiam, quâ filii Dei in hoc sæculo, et in futuro cohæredes ipsius fierent.

XV. *Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.* Hic significatur quomodò fiat generatio hominis in filium Dei, et quomodò hæc differat à generatione carnali ejusdem hominis! homo quippè secundùm carnem producitur ex sanguinibus, seu seminibus maris et feminæ, substantiamque corporis assumit ex menstruâ sanguinibus matris; acceditque ad hanc generationem voluntas, seu concupiscentia carnis (1), id est, mulieris, pariter et voluntas in eodem sensu viri. E contra generatio hominis, quâ filius Dei est, fit per fidem, spem et charitatem; qui modus generationis longè est purior, et omninò spiritalis.

XVI. *Et verbum caro factum est, et habitavit in nobis.* Quoniam suprâ dicitur Verbum in propria venisse, explicatur jam modus, quo in propria venit; scilicet per mysterium Incarnationis, quo humanitatem assumpsit; nam caro per synecdochen sumitur pro homine, ita ut sensus sit,

(1) Caro secundùm *S. Augustinum* hîc sumitur pro muliere que ob id rectè caro dicitur, quòd affectibus carnalibus magis sit obnoxia, quàm vir. Sicque in libro Genesis vocavit Adam, dicens: *caro de carne mea.*

et Verbum Homo factus est, utrâque naturâ divinâ et humanâ in unam personam, quæ Christus dicitur, coalescente. *Et habitavit in nobis* (1), id est, visibiliter sub forma humana, quam assumpserat, vixit et conversatus est cum nobis hominibus.

XVII. *Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ et veritatis.* Christus non solum sub forma humana visibilem se

(1) Tempus Christi in terram adventûs stylo grandi enuntiat Ecclesia in martyrologio Romano sub data 25 Decembris his verbis: *Anno à creatione mundi, quando in principio Deus creavit coelum et terram quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono: à diluvio verò anno bis millesimo nongentesimo quinquagesimo septimo: à nativitate Abrahamæ anno bis millesimo quintodecimo: à Moyse et egressu populi Israël de Ægypto anno millesimo quingentesimo decimo: ab unctione David in regem anno millesimo trigesimo secundo: Hebdomada quinquagesima quinta juxta Daniëlis prophetiam: Olympiade centesima nonagesima quarta. Ab urbe Roma condita anno septingentesimo quinquagesimo secundo, anno imperii Octavianii Augusti quadragesimo secundo toto orbe in pace composito, sexta mundi ætate, Jesus Christus, æternus Deus æternique Patris Filius, mundum volens adventu suo piissimo consecrare, de Spiritu sancto conceptus, novemque post conceptionem decursis mensibus, in Bethlehem Judæ nascitur ex Maria Virgine factus Homo.*

Annorum numerus hic notatus conformis est Græcæ versioni Bibliorum, quæ LXX Interpretum dicitur; nam juxta hanc diluvium cœpit anno ab orbe condito 2242, cum, juxta Hebræicum textum et vulgatam Latinam quæ S. Hieronimi est, et quâ utimur, cœperit diluvium anno 1656. Rursùm Nativitatem Domini ponit martyrologium Romanum anno ab urbe Roma condita 752, cum eadem anno 748 assignent eruditi viri Henschenius, Pagius, aliique, et anno 749 Deckerius, Petavius, Pezronius, pluresque recentiores.

Cæterum varias hasce de rebus chronologicis opiniones doctorum virorum arbitrio discutiendas Ecclesia reliquit, nihil eorum definire volens, quæ ad fidem et mores sunt indifferentia.

præbuit, sed et latitantem in se Divinitatem exterius patefecit gloriosâ sui transfiguratione, et innumeris miraculis, quibus suam Divinitatem probavit: undè evangelista benè dicit *et vidimus*, non solùm nos, qui fuimus testes transfigurationis ejus, sed et cæteri apostoli et Judæi, qui viderunt Lazarum è sepulchro redivivum, cæcos videntes, claudos ambulantes, etc., vidimus omnes gloriam ejus, non præcisè quâ Christus erat homo, sed gloriam ejus, quâ erat quasi Unigenitus Dei. Ubi particula *quasi* non est notæ meræ similitudinis, sed confirmationis, ac indubitatæ determinationis; ut dum dicitur: Petrus se gessit in prælio sicut, seu quasi vir generosus, Petrus ibi non assimilatur viro generoso, sed ut talis absolutè denuntiatur. *Plenum gratiæ et veritatis.* Plenum est casus nominativus, ut ex Græco patet; adeoque referri debet ad Verbum caro factum, sic ut mediantia verba sint legenda quasi in parenthesis conclusa. Sensus ergo est: Verbum caro factum, est plenum gratiæ et veritatis. *Gratiæ* in primis, quia Christus est fons omnis gratiæ, tum gratis datæ, tum gratum facientis. Deindè *veritatis*, quia Christus, ut Deus, incapax est simulationis, duplicitatis, aut falsitatis; verus fuit Deus, verus homo, verè passus, verè mortuus, etc., veraque fuerunt omnia quæ fecit et docuit.

Rationes præcipuarum cæremoniarum missæ solemnissimæ habes tomo secundo in cursu missæ solemnissimæ.

APPENDIX

DE RITIBUS ET CÆREMONIIS VARIANTIBUS A ROMANIS
IN ORDINIBUS CARTHUSIANORUM , CARMELITARUM
CALCEATORUM , ET FRATRUM PRÆDICATORUM SUB
CELEBRATIONE MISSÆ.

LITURGIE horum ordinum cùm nonnulla venerandæ antiquitatis monumenta exhibeant , non injucundum fore lectoribus judicavi , si brevis series rituum et cæremoniarum particularium , quibus fit in illis sacrosanctum missæ sacrificium , hic subjiciatur.

ARTICULUS PRIMUS.

De ritibus Carthusianorum variantibus à Romanis.

ANTEQUAM in materiam propositam descendamus , non abs re erit verbum facere de ortu hujus ordinis ; indè patebit liturgiæ , quam sequitur , antiquitas ; indèque deduci poterit ejusdem origo , seu undè eam hauserit. *Bruno* , Carthusianorum institutor , Colonix natus est circa annum 1030. Post pueritiam honestè et laudabiliter transactam , canonicus et scholasticus in Ecclesia Remensi doctrinâ et sanctitate fulsit , sed vanitate mundi

et bonorum ejus caducitate pertæsus (1), proposuit omnia deserere, et salutem æternam in solitudine quærere; quare mense Junio anni 1084

(1) *Joannes Gerson*, tract. de simplificatione cordis, notulâ 22, refert causam recessûs ejus in solitudinem fuisse apparitionem cujusdam mortui doctoris Parisiensis, cujus nomen apud quosdam *Raimundus Diocrem*; hæc sunt ipsius verba: *Mortuus est quidam magnæ reputationis magister apud scholasticos: parantur exequiæ in templo; venit vox, justo Dei judicio accusatus sum. Dilata est sepultura in diem alterum, tunc audita est vox, justo Dei judicio judicatus sum. Tertiâ die, inquam dilatio sepulturæ iterum facta extitit, insonuit vox, justo Dei judicio condemnatus sum.* Idem habent *S. Antoninus* p. 2. tit. 15. cap. 22. *Raynaudus et Colombi*, è Societate Jesu, diss. de Carthus. initiis; item *Le Masson*, electus generalis Carthusiæ anno 1675, et plures alii. Ast omnes ferè critici moderni ut meram fabulam habent præactam historiam; in primis eò quòd nemo hujus miraculi meminerit, nisi jam elapsis ab illius eventu ducentis circiter annis: porrò testimonium adeò vespertinum non præ se fert insignia veritatis. Equidem citatur *Cæsarius Heisterbacensis*, monachus diœcesis Colonien-sis suppar Brunoni, id est, ejusdem ferè ævi, qui lib. 11. de morientibus, cap. 49, verbum habet hujus prodigii; sed in ore unius Auctoris, cujus sinceritas et discretio non omninò sciuntur, stare nequit omne verbum. Imò testimonium illius suspectum et falsum haberi debet, quia in supposito veritatis illius, non unus, sed centum calami scripto posteritati mandassent factum adeò memorabile, et patratum in civitate magna, nempè Parisiis, non semel, sed tribus distinctis diebus, crescente verosimiliter in dies multitudine spectatorum. Deindè *S. Bruno*, scribens ad præpositum Remensem, sui recessûs nullam aliam reddit rationem præter vanitatem hujus mundi, et æternæ vitæ considerationem. *Guigo*, quintus generalis ordinis, scribens vitam *S. Hugonis* Episcopi Gratianopolitani, et tangens causam recessûs sui patriarchæ, eandem causam refert, absque ulla mentione dicti miraculi: indèque patet quàm meritò *Urbanus VIII* expungi jusserit præsentem historiam è Breviario; eâdemque ratione tolli deberet è picturis, quæ vitam *S. Brunonis* repræsentant. Hæc autem animadversio tantum abest ut meritum Sancti inficiat, quin potius illud extollit; siquidem ei gloriosius fit spontè mundum deseruisse, quàm perterritum, et quodammodo coactum illâ horrendâ visione.

secessit cum sex sociis in desertum vastissimum diœcesis Gratianopolitanæ in regni Gallici confinibus (1); indèque Ritus Divini Officii et Missæ,

(1) Desertum illud horrendum constat ex pluribus montibus aridis et altissimis, in quibus hyems ferè perpetuò regnat: vocantur illi Montes Carthusiani, undè quævis Domus Ordinis Carthusia dicitur, et religiosi Carthusiani appellantur. Tempus tamen, patientia et labor terram illam ingratham ita fecundârunt, ut quotannis 30 millia florenorum Gallicorum reddat. Ibi plantata est domus mater, cujus prior nascitur generalis totius ordinis. Singulis annis ibi congregatur capitulum generale circa festum Ascensionis, ex prioribus aliarum. Hic ordo 172 domos numerat, quæ in 16 dividuntur provincias: quælibet autem provincia duos habet visitatores, qui quolibet biennio domos sibi subjectas adeunt. Domus reguntur priore, qui quotannis officium suum inter manus generalis dimittere tenetur, et uno vel altero procuratore pro re temporali: hi possunt exire et extra conventum manducare. Religiosi carnes non edunt, nequidem in extremo mortis periculo. Femine nunquam eorum templa, cellas, nec claustra ingrediuntur. Regulariter per hebdomadam semel tantum exeunt ambulationis causâ per campos, sed omnes in unum. Jejunant per octo menses anni, et in adventu, quadragesima, et feriis sextis abstinent se ab ovis et lacticiniis; quotidie surgunt inter decimam et undecimam noctis ad cantandas matutinas, laudes, duratque eorum vigilia tribus circiter horis; diebus dominicis et festivis totum officium (excepto completorio, quod semper privatim recitant) in choro persolvunt, hisque diebus in refectorio manducant, aliis verò diebus, solum matutinum, missas et vespers faciunt in Ecclesia, manducantque tunc in cellulis; huic officio diei singulis diebus accedit lectio privata officii B. M. V. et frequentissimè officium defunctorum, quod non rarò in choro canitur. In Ecclesiis eorum, nec organa, nec alia musices instrumenta admittuntur, sed totum officium voce absolvitur; estque usus, ut responsoria, hymnum angelicum, symbolum, Sanctus, Agnus Dei cantent omnes simul à principio in finem. Hic ordo fuit confirmatus ab *Urbano II*, et *Martinus IV* hoc illi gloriosum indulsit privilegium, nempe, ut mendicantes, qui ad alios ordines transire non possunt, tamen in hunc intrare valeant. In hoc ordine paucae admodum sunt Domus mulierum, 4 aut 5 tantum noscuntur, exstantque maxime in Belgio. Sub hoc instituto, virgines solemni ritu ab epi-

Ordo Carthusianorum assumpsit : cùm autem hæc familia ab ortu suo nullam passa sit in statutis et ritibus alterationem , illius liturgiæ nobis exhibet exemplar antiquæ liturgiæ Gallicanæ , præsertim illius quæ tunc vigeat Gratianopoli et Lugduni ; idque confirmari potest ex cognatione , quæ cernitur inter ritus Ecclesiæ Lugdunensis et Carthusianorum ; his positis :

§. I.

Ab initio missæ usque ad offertorium.

I. **COMPLETA** missâ conventuali ferialibus diebus , aut diebus capituli , post ipsum capitulum , id est ante missam conventualem , quæ tardiùs tunc celebratur , Carthusiani bini et bini ad sacella sibi destinata procedunt , ubi dicunt simul ferialibus diebus Tertiam diei et Sextam de Beata ; diebus autem capituli Tertiam tantùm de Beata. Postea senior , qui prior celebraturus est , prostratus , dicit semel *Pater* et *Ave* in præparationem : proponuntur tamen in missali ordinis ipsius devotioni orationes : *ego volo celebrare. Summe Sacerdos. S. Ambrosii ; Ad mensam dulcissimi convivii , et hæc S. Thomæ Omnipotens.*

Post sui præparationem , induit se paramentis sacerdotalibus recitans orationes more Romano.

scopo consecrantur , uti præscribitur in Pontificali Romano , ac speciali ritu induuntur sub actu consecrationis manipulo et stolâ , sitque eis potestas cantandi epistolam infra missam solemnem.

E numero domuum hujus ordinis suprâ memorato multæ , ab anno 1786 , sunt suppressæ in Belgio , Austria , regno Neapolitano , Hetruria , et alibi.

Vestitus parat altare cum socio, panem apponit super patenam, et vinum infundit in calicem, quem patenâ coöperit, et indè super patenam ponit opertorium, ad hoc destinatum cum cochleari; collocato autem calice in altari versùs cornu epistolæ, extendit corporale, et factâ inclinatione, descendit de altari, seque sistit extra gradus in cornu evangelii, more nostro, quando celebramus coram episcopo.

Ut suprâ constitutus se signat, dicens: *In nomine Patris*, etc., loco psalmi *Judica*, dicit verbum: *pone, Domine, custodiam*, etc., tum facit confessionem his verbis: *Confiteor Deo et B. M, et omnibus Sanctis, et vobis, fratres, quia peccavi nimis meâ culpâ per superbiam, cogitatione et locutione, opere et omissione, precor vos*, etc., dum dicit *cogitatione, locutione, opere et omissione*, ter pectus tundit. Postea subjungit *misereatur, adjutorium*, et deindè ascendit ad altare, ubi inclinatus et manibus junctis recitat *Pater et Ave*, ac se erigens, cruce se signat.

II. Ad introitum non format in se crucem. Constitutus in eodem cornu epistolæ prosequitur *kyrie*, et si dicendus sit hymnus angelicus, ibidem manibus insertis, id est, tenens palmam manûs contra palmam alterius, ac complectens dorsum earum digitis, sic ut pollices sint in modum crucis, dicit: *Gloria in excelsis Deo*, inclinatque caput post hæc verba; tum in eodem loco, et manuum situ pergit hymnum legere: in ritu ordinis nulla legitur inclinatio facienda sub his verbis: *gratias agimus tibi*. Nec in fine signum crucis producendum. Post hymnum, si dicendus sit, aliàs post *kyrie*, in eodem cornu proferens *Dominus*,

nus, extensis manibus, se vertit ad altare et caput inclinatur; clausis autem oculis, aut saltem ad terram demissis, vertit se per suam dexteram ad populum, et addit *vobiscum*, palmas manuum jungens sub ultima syllaba, et caput inclinans. Reversus ad altare per suam sinistram, junctis manibus, dicit *oremus*, caput ad altare inclinans, et deinde orationem, manibus extensis, usque ad conclusionem.

In Quadragesima post *kyrie*, dicto *oremus*, statim subjungit *flectamus genua*, si tamen sit præscriptum, et incurvans se, altare osculatur, erectusque dicit *levate*, et orationem prosequitur.

III. Post epistolam, stans in medio altaris, manibus junctis, tantum hoc orat: *Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ut rectè pronuntiem evangelium pacis*. Tum osculatur altare, et accedit ad cornu evangelii, ubi dum respondetur *Gloria tibi Domine*, conversus ad altare, et capite inclinatus, se signat à fronte ad pectus. In fine evangelii silens, osculatur libri marginem; idque, ut videtur, ex majori reverentia erga sacrum textum. Si symbolum in missa locum habeat, celebrans in medio altaris dicit, manibus junctis, *Credo in unum Deum*, et postea caput inclinatur. Sub *Versu et incarnatus est*, etc., corpus profundè inclinatur. Hicque notari potest celebrantem juxta liturgiam hujus ordinis sub toto Sacrificii cursu non flectere, sed tantum inclinare se, vel genu incurvare, sed non usque ad suppedaneum altaris. Dum dicit *adoratur* in symbolo, caput non inclinatur, nec in fine se signat.

§. II.

De offertorio usque ad canonem.

I. FINITO evangelio, vel symbolo, si sit dicendum, celebrans salutatur populum, dicendo, ut §. præcedenti, n. II, *Dominus vobiscum*. Deinde subjuncto *oremus* manibus junctis, legit offertorium modo orationis, id est, extensis manibus; moxque expandit corporale, ac cruce salutata, exit de medio, sequè transfert ad cornu epistolæ, ubi primò lavat manus, dicens: *lavabo*, cum uno, vel duobus versibus sequentibus; tùm injicit in calicem unam vel alteram aquæ guttulam, dicens: *de latere Domini nostri Jesu Christi exivit sanguis et aqua in remissionem peccatorum*; addens autem *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti*, producit signum crucis in vinum simul et aquam, seu supra calicem.

II. Reversus ad medium, accipit utrâque manu, more nostro, calicem, super quo jacet patena cum pane, illumque paulò coram se elevat, ac intellis in Deum oculis dicit: *in spiritu humilitatis et animo contrito suscipiamur à te, Domine, et sic fiat sacrificium nostrum ut à te suscipiatur hodie, et placeat tibi, Domine Deus*. Addendo autem: *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, Amen*, format signum crucis cum calice. Deponit deindè calicem in altare, et ex eo assumptâ patenâ, hostiam locat ante pedem calicis, patenamque pro majore sui parte subtùs corporale ad sui dexteram. Postea calicem parte posteriore corporalis coöperit.

III. His , ut suprà , peractis , vertit se ad populum , et iisdem cæremoniis , quibus antè dixit *Dominus vobiscum* , dicit *orate , fratres , pro me peccatore ad Dominum Deum nostrum*. Reversus ad altare , facit secretas orationes præmittens *oremus* primæ orationi , quam prosequitur usque ad *amen* exclusivè , manibus interea expansis super calicem et hostiam. Postmodum dicit iterùm *oremus* , et expansis , ut suprà , manibus , omnes alias collectas absolvit sub una conclusione , cujus ultimà verba habiturus , scilicet , *per omnia sæcula sæculorum* , manus expansas retrahit et elevat , sicut summitates digitorum supra humeros aliquatenùs appareant , quo in situ legit totam præfationem , reverenter se inclinans sub his verbis *gratias agamus Domino Deo nostro*. Post præfationem se profundè inclinat , et junctis manibus voce intelligibili dicit *Sanctus* usque ad *benedictus* , quod verbum proferens se erigit et signat.

§. III.

De canone usque ad orationem dominicam.

I. LITURGIA Carthusianorum totum canonem habet de verbo ad verbum , uti Romana , sed variat in cæremoniis , et in primis , celebrans diciturus *te igitur* , nec manus , nec oculos elevat , sed junctis manibus et profundè inclinatus , incipit canonem et pergit usque ad *benedicas* , sub quo verbo absque altaris osculo se erigit , et ter signat oblata. Tum extendit manus extra corpus in modum crucifixi , sicque hæret usque ad *hanc igitur oblationem* : undè in illo situ facit memo-

riam pro vivis; ac interea ter caput inclinât, 1.º
 Post *memento* vivorum, 2.º ad nomen Mariæ, et
 3.º sub *Jesu Christi*.

II. Infra orationem *hanc igitur*, manus expandit super oblata, pariter et infra eam, quæ incipit *quam oblationem*, usque ad *benedictam*, seu cruces quas facit ritu Romano, et cætera usque ad consecrationem inclusivè, hoc excepto, quòd caput non inclinât, dum dicit *tibi gratias agens*. Prolatâ formâ consecrationis, corpus inclinât et genu dextrum demittit, sed non usque ad terram; post Hostiæ elevationem solùm corpus inclinât. Erectus discooperit calicem, dicens: *simili modo postquam cœnatum est*, et deindè digitos excutit intrâ calicem. Tum relevato corporali ad cuppam, et restricto inter digitos et oram calicis, ne decidat, dicens: *accipiens et hunc præclarum calicem*, etc., hunc paululùm elevat, et dicto *item tibi gratias agens*, illum deponit; retinens autem sinistram calici applicatam, facit crucem sub *benedixit*. Postea resumens dextrâ calicem, et parùm ab altari elevatum sustinens, profert verba consecrationis, quibus prolatis, utrâque manu semper calicem cum corporali modicè elevatum retinens, genua aliquantulùm incurvat et caput inclinât, ac erigens se et dicens: *hæc quotiescumque*, paulò altiùs calicem tollit, sed sic ut retrò non videatur, seu eodem modo, quo illum elevamus, dicentes ante orationem dominicam *omnis honor et gloria*. Dicto *hæc quotiescumque*, etc., calicem deponit, corporali tegit, et profundâ inclinatione Sacramentum adorat.

III. Peractâ consecratione, brachiis extensis extra corpus in modum crucis, pergit legere canonem. Dicturus *te supplices*, manibus cancellatis sinistrâ infra dexteram se profundè inclinât. Dum pervenit ad hæc verba: *ex hac altaris participatione*, sub illis retinens brachia, ut antè, osculatur altare. Erectus signat, more nostro, corpus et sanguinem Christi, et seipsum. Deindè expansis, ut antè, manibus, prosequitur *memento*, etc., oratque pro mortuis in illo situ, demittens tamen oculos ad SS. Sacramentum (1) ad quod, finitâ oratione, caput inclinât. Dicens: *per eundem Christum*, etc. ante *nobis quoque peccatoribus* non se inclinât, sed simpliciter tundit pectus sub citatis verbis *nobis quoque*, etc. Signatis oblatis ad *sanctificas*, etc. dicens: *et præstas nobis*, detegit calicem, et coram Sacramento se profundè inclinât. Erectus, accipit Hostiam, et tenens sinistram super pedem calicis, ter signat à labio ad labium calicis cum Hostia, dicens: *per ipsum*, etc., deindè tenens indicibus et pollicibus utriusque manus Hostiam, et cuppam cum aliis; prosequitur, *est tibi Deo Patri omnipotenti*, etc., et quando dicit *per omnia sæcula sæculorum*, parùm elevat calicem et Hostiam, deponitque illa in loca pristina, dum respondetur *amen*.

(1) Hic præscribens cærem. ord. ut celebrans oculos ad Sacramentum demittat, monet id esse continuò practicandum à consecratione usque ad communionem, dum commodè fieri potest.

§. IV.

De oratione dominica usque in finem.

I. DICENDO *oremus : Præceptis salutaribus*, etc., excutit digitos in calicem, illumque mox tegit, ac, factâ inclinatione, expandit manus in modum crucis, ut infra canonem et prosequitur *Pater noster*, etc., responso *sed libera nos à malo*, subdit clarâ voce *amen*, tum voce secretâ manibus semper expansis, dicit : *libera nos*, etc. Sub *intercedente Beatâ* accipit patenam. Ad nomen *Mariæ* caput inclinât. Dicens : *et beatis apostolis tuis Petro et Paulo*, se signat cum patena, quacum deindè tangit Hostiam, dicens : *da propitius pacem*. Proferens : *et à peccatis simus semper liberi*, detegit calicem, ac se inclinât; addens autem *et ab omni perturbatione securi*, Hostiam accipit.

II. Cùm dicit *per eundem Dominum*, etc., Hostiam frangit super calicem in duas partes, sed sic ut ea, quam dexterâ tenet, sit minor alterâ minoremque deponit in patenam, deindè sub his verbis *qui tecum vivit et regnat*, frangit ex altera parte, quam in sinistra retinuit, medieta-tem, seu eam dividit in duas partes æquales; illam, quæ in sinistra manu remanet, deponit super aliam, quæ in patena jacet, dicendo : *in unitate Spiritûs sancti Deus*; tum apprehendit et sinistrâ tertiam partem : porrò utrâque manu tenens hanc Hostiæ partem, simul et cuppam calicis, illa paululùm elevat, dicens : *per omnia sæcula sæculorum*, et dum respondetur *amen*, calicem in altare deponit; apprehenso autem sini-

strâ calice, ter signat intra cuppæ ambitum cum particula Hostiæ, dicens: *pax Domini sit semper vobiscum*, eamque immittit in sanguinem, dum respondetur, *et cum spiritu tuo*. Moxque prætermissâ oratione *hæc commixtio*, dicit semel: *Agnus Dei*, etc.; interea excutiens digitos in calicem, et postea illum tegens.

III. Coöperto calice, profundè inclinatus, recitat unam tantùm orationem, nempe, *Domine Jesu Christe Fili*, etc., post quam aliquantulùm quiescit in pia mysterii meditatione; tum ommissis precibus quas ante vel infra communionem habemus, accipit Hostiam à patena, illamque sumit, genibus aliquantulùm flexis. Deindè calicem detegit; digitos in illum excutit, et diligenter inspicit patenam, ut si quid ex Hostia residuum inveniatur, illud in sanguinem immittat; tum suppositâ patenâ, sumit sanguinem, et mox primam purificationem. Collectis deindè particulis è corporali, iisque immissis è patena in calicem, accipit in cornu epistolæ secundam purificationem cum solo vino, interponendò pollices et indices; deindè collocato calice in altari extra medium versùs cornu epistolæ, abluit aquâ digitos, eos tergit ac labia cum mantili ad hoc specialiter parato. Tum sumptâ purificatione in medio altaris, calicem deponit, ita ut cuppa jaceat super patenam, sicque liquor ad labia illius defluat. Interim plicat corporale, vel tantùm partem illius anteriorem, si alter sit successivè celebraturus, et postea sorbet quod in calice superest liquoris, tum calicem deponit, patenâ tegit, et pallâ patenam; moxque dicit bis *Agnus Dei*, etc.

His peractis, vadit ad cornu epistolæ, legit communionem, ibidemque dicit *Dominus vobiscum*, orationes, post quas iterum subjungit *Dominus vobiscum*, uti dictum fuit ante epistolam, ibidemque, id est, in cornu epistolæ, addit: *ite, missa est*. Reversus ad medium altaris, junctis manibus, ac profundè inclinatus, dicit orationem *placeat*, etc., in cujus fine osculatur altare. Erectus, se signat, ac factâ inclinatione, de medio recedit, vestibus se exiit, calicem in suo involucro recondit, ac prostratus in gratiarum actionem semel dicit *Pater et Ave*.

ARTICULUS II.

Liturgia Carmelitarum.

CARMELITÆ, seu Carmelitani fratres, qui à longo tempore solitudines montis Carmeli habitabant, undè nomen sortiti sunt, in unum collecti fuere sub *Alexandro III*, qui cathedram *S. Petri* ascendit 25 Dec. 1159 et obiit 30 Augusti 1181, et sub *Innocentio III*, qui Pontifex creatus est 11 Januarii 1198 et mortuus est 19 Julii 1216. His *Albertus*, patriarcha Jerosolymitanus, regulam dedit pro majore parte extractam è regula *S. Basilii*. Hanc approbavit *Honorius III*, successor *Innocentii III*. Fuit mittigata ab *Innocentio IV*, qui regnavit ab anno 1243 usque ad 1254, tandem regula Carmelitarum quamdam mutationem in habitu passa est sub *Honorio IV*, electo anno 1285. Hi religiosi domicilia in Galliis nacti sunt circa annum 1264, undè verosimiliter suos ritus assumpserunt, de quibus jam

§. I.

Ab initio missæ usque ad offertorium.

I. CELEBRANS, exceptis missis de *requiem*, et de tempore passionis, procedens ad altare secretò recitat psalmum *Judica me*, absque antiphona. Ingressus ad altare, infundit vinum et aquam in calicem. Constitutus ante gradus altaris, se signat, dicens: *In nomine Patris*, etc., deindè dicit versum *confitemini Domino*, etc., tum suspiciens in altum, extensis manibus, et mox junctis, inclinatus facit brevem confessionem, cui subjungit *misereatur et indulgentiam*, sed sine cruce. Erectus se signat, dicens: *adjutorium*, et demùm inclinatus, ut ante *oremus: aufer à nobis*, etc., progressus ad altare, more nostro, recitat *oramus te*, etc.

II. In duplicibus majoribus ter recitat introïtum, scilicet, semel ante versum, semel post versum, et iterùm post *Gloria Patri*. Hic ritus ortum habet ex missa solemni, in qua, ut tempus suppetat incensationibus, sic repetitur dictus introïtus; aliis diebus bis tantùm dicitur more ordinario. In cornu epistolæ post introïtum dicit *kyrie eleïson*. Dicturus hymnum angelicum manus deponit in altare. Dicens: *Gloria in excelsis*, illas elevat, et jungit, et sub *Deo* caput inclinat quod ultimum ter tantùm renovat sub hymno, scilicet, bis ad *Jesu Christe*, et iterùm ad *suscipe deprecationem*, etc., finito hymno, et non antè, se signat, nihil dicens; quod et facit post *kyrie, eleïson*, quando hymnus angelicus omitti-

tur. Post crucis signum, in medio se vertit ad populum absque prævia capitis inclinatione, et salutatur populum, dicens : *Dominus vobiscum.*

III. Stans in cornu epistolæ, recitat collectam seu collectas, et ad finem ultimæ redit ad medium altaris, et indè ad librum pro lectione epistolæ. Ante evangelium non dicit *munda cor*, sed inclinatus tantùm orat : *jube, Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo*, etc., cui addit *In nomine Patris*, etc., cum signo crucis. In missis de *requiem* tantùm facit hæc verba *Dominus sit*, etc., absque *In nomine Patris*, etc., et absque cruce. Ante evangelium, dicto à serviente *Gloria tibi, Domine*, jungit *qui natus es de Virgine*, secretò, et parùm inclinatus. Post finem evangelii se signat, et deindè librum osculatur. Symbolum recitaturus, deponit manus, eas elevat et jungit, dicens : *Credo in unum*, et sub *Deum* caput inclinatur : nulla inclinatio præscribitur in missali ordinis sub verbo *adoratur.*

§. II.

Ab offertorio usque ad canonem.

I. Post *Dominus vobiscum* et offertorium, amovet à calice velum et pallam et deindè signum crucis producit in vinum et panem, dicens : *In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.* Tum elevans calicem cum patena, et oculis ad Deum intentis, dicit : *Suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offerimus in commemoratione Passionis, Resurrectionis, Ascensionisque in cælum Domini nostri Jesu Christi, et honore beatæ*

et gloriosæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ et omnium Sanctorum, qui tibi placuerunt ab initio mundi, ut illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem: et omnibus illis pro nobis intercedentibus in cælis, sit in salutem vivorum, et requiem defunctorum, qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

II. Hâc finitâ oratione, collocat calicem in medio corporalis sine cruce, deponit Hostiam ante pedem calicis, et patenam pro parte subtus corporale ad suâ dexteram, et deindè pallâ calicem coöperit. His peractis, elevans oculos, manusque expandens et mox jungens ante pectus cum capitis inclinatione, dicit: *benedictio Dei omnipotentis*, moxque erecto capite, deponit sinistram in calicem, et dexterâ signat oblata, dicens: *Patris et Filii, et Spiritûs sancti*; junctis autem manibus prosequitur: *descendat super hanc oblationem et maneat semper. Amen.* Deindè se signat nihil dicens.

III. Post signum crucis, se vertit ad populum et dicit: *orate, fratres*, secretò mox subjungens *ut meum ac vestrum*, etc.; minister autem respondet: *memor sit Dominus sacrificii tui et holocaustum tuum pingue fiat: tribuat sibi secundùm cor tuum, et omne consilium tuum confirmet.* Reversus ad altare dicit secretas orationes, quibus præmittit: *Domine, exaudi orationem meam, et clamor meus*, etc., insuper ante primam et secundam dicit: *oremus* voce submissâ, sicut et versum præcedentem. Reliqua peragit ritu Romano usque ad canonem.

§. III.

A canone usque ad orationem dominicam.

I. Ad *memento* vivorum, oculos ad Deum elevat. Sub oratione *hanc igitur oblationem*, se inclinatur, et manus junctas deponit in altare usque ad *quam oblationem*. Dicens: *fiat dilectissimi Filii tui*, etc., extendit brachia extra corpus, et ad Deum elevat oculos. Ante consecrationem, sub his verbis: *tibi gratias agens*, caput non inclinatur. Dum profert *fregit*, pollice et indice dextris, premit superiorem Hostiæ partem. Infra consecrationem tenet hinc et inde Hostiam per partes ipsius laterales, sed ante elevationem apprehendit more nostro per inferiores.

II. Ante consecrationem calicis, dicens: *accipiens et hunc præclarum calicem in sanctas ac venerabiles manus suas*, accipit calicem per nodum, vel per cuppam. Sub his verbis: *item tibi gratias agens*, caput non inclinatur. Verba sequentia: *hæc quotiescumque feceritis*, etc., pronuntiat infra calicis elevationem. Unde et memores usque ad signa crucis recitat brachiis extensis in modum crucis; reliquum verò canonis manibus extensis et elevatis usque ad humeros. Incipiens orationem *supra quæ propitio*, oculos elevat ad crucem.

III. Dicens: *te supplices rogamus*, etc., se tenet inclinatum, brachiis ante pectus cancellatis. Ad *per Christum Dominum nostrum* ante nobis quoque peccatoribus nulla inclinatio præscribitur in missali ordinis. Quando dicit *per ipsum*, largè

signat cum Hostia extra ambitum calicis; et cum ipso, signat à labio ad labium, uti nos; et in ipso, intrà cuppam calicis, demittendo Hostiam versùs fundum. Sub his verbis: *est tibi Patri omnipotenti*, signat more nostro, sed addens: *In unitate Spiritùs sancti*, format primam crucis lineam à cuppa calicis versùs pedem illius, hancque secat diametraliter, aliâ ductâ à cornu evangelii ad cornu epistolæ. Quando dicit: *omnis honor et gloria*, paululùm elevat calicem cum capitis inclinatione.

Hic generaliter notari potest, juxta hunc ritum celebrantem oblata signantem manum sinistram deponere in pedem calicis, et osculari altare, non in medio, sed ad latus versùs cornu epistolæ.

§. IV.

Ab oratione dominica in finem.

I. DICTA oratione dominicâ more nostro, accipit patenam, eamque parumper ab altari elevatam sustinet, pariter et sinistram ex altera parte similiter elevatam, dicitque *libera nos, Domine*, etc. Cùm profert *Da propitius pacem*, osculatur patenam in parte superiori; ut ope misericordie tuæ adjuti tangit patenâ oculum sinistram, et à peccato simus semper liberi oculum dextrum, tum signat se addens *ab omni perturbatione securi*. Postea deponit patenam ad suâ dexteram extra corporale. Deindè discoöperto calice, et præviâ genuflexione, frangit Hostiam, ut sequitur: 1.º Eam dividit in duas partes æquales. 2.º Partem

dexteræ manûs superponit transversim alteri, quam habet in sinistra, sic ut fractura in altum ascendat. 3.º Ex particula superiore seu transversa frangit parvam particulam, dicens: *In unitate Spiritûs sancti Deus*, retinens autem partes majores sinistrâ desuper calicem, et minorem dexterâ, dicit: *per omnia sæcula sæculorum*, et addens *pax Domini*, etc., ter signat cum minore, more Romano, deindè demittit in calicem particulam, quacum signavit, dicens: *hæc sacrosancta commixtio*, etc., interim alias partes decenter componit ad rotunditatem, non omninò perfectam, sed partem alteri parumper superimponit, ut faciliùs eas sumere queat. Post hanc operationem, pollicem et indicem dexteræ excutit in calicem; tum capite inclinato, ter dicit: *Agnus Dei*, terque pectus interea tundit.

II. Dictis *Agnus Dei*, manum dexteram deportat ad calicem, eamque locat ad normam sinistrae, sed sic ut non tangat cum illa Hostiam. Erectus autem corpore, secretò recitat *Domine Jesu Christe* et duas sequentes, quibus absolutis parùm flectens, sed non usque ad terram dicit: *salve, salus mundi, Verbum Patris, Hostia sacra, viva caro, Deitas integra, verus Homo*. In eodem situ, id est, incurvatis paululùm genibus, pergunt dicere ter *Domine, non sum dignus*, pectus tundendo. Deindè erectus, se signat cum Hostia, sed taliter ut non exeat de ambitu ostii calicis. Tum inclinatus super calicem sumit Christi corpus, quo sumpto, erigit se, excutiens digitos utriusque manûs in calicem, moxque junctis manibus, ante faciem parùm quiescit in piâ mysterii meditatione. Reliquum usque ad antipho-

nam quæ *communio* dicitur, agit more Romano.

III. Lectâ communionē, reversus ad medium, se signat in silentio, et facie versâ ad populum, eum salutatur, dicens : *Dominus vobiscum*. Constitutus ante librum, orationes persolvit, ut dictum est in principio ante epistolam, saltem usque ad ultimam conclusionem, quam absolvit redeundo ad medium altaris, ubi iterum se signat nihil dicens. Conversus ad populum, dicit : *Dominus vobiscum* et *ite, missa est*, si sit dicendum. Ad altare reversus, extendit manus, et oculos in altum simul tollit, moxque oculis demissis; manus junctas deponit in altare et dicit orationem *placeat*. Quâ finitâ, hinc et inde depositis manibus in altare, illud osculatur. Erectus, extendit, elevat et jungit manus, inclinansque caput, dicit altâ voce : *benedictio Dei omnipotentis*; mox autem ad populum versus, signatur eum dicens : *Patris, et Filii, et Spiritus sancti descendat super vos et maneat semper*, cui respondetur *amen*. Signato populo, perficiens circumflectitur in superiori gradu altaris in medio, ubi clarâ voce solus recitat antiphonam *salve Regina*, deindè versum *ora pro nobis*, etc., cui respondet minister : *ut digni*, etc., et postea collectam *protege*, etc. Tempore Paschali substituit *Regina cœli*, etc. Hæ antiphonæ omittuntur in missis de *requiem*. Post antiphonam vadit ad cornu evangelii, ubi legit evangelium *S. Joannis*, vel aliud juxta rubricas, more nostro; his tamen exceptis : 1.º dicto *Gloria tibi, Domine*, celebrans subjungit secretò : *Qui natus es de virgine cum Patre et Sancto Spiritu in sempiterna sæcula*. 2.º Finito evangelio, se signatur, et dicit :

per *Evangelica dicta*, etc., tandem tecto capite caputio, redit more Romano ab altari recitans hymnum *Te Deum laudamus*.

ARTICULUS III.

Liturgia Dominicanorum.

ORDO Dominicanorum suscitatus fuit à *S. Dominico*, qui ex nobili Gusmanorum familia ortus est anno 1170 Calarogæ in diœcesi Uxamensi in Hispania, obiitque Bononiæ 6. Aug. 1221. Cùm in Galliis Waldensium et Albigensium conversioni vacaret, Tolosæ prima ordinis fundamenta jecit; ibi enim primo illius conventu erecto, Romam profectus, ab Honorio III confirmationem regulæ, quam sibi et sociis ex constitutionibus *S. Augustini*, et etiam Præmonstratensium, formaverat, obtinuit duabus bullis ejusdem datæ, anno scilicet 1216. Anno autem sequenti domum Parisiis obtinuit, breviq̄ tempore hic ordo diffusus fuit per universum orbem (1). Interim hic

(1) Hic ordo celebris è suis numerat 5 summos Pontifices, 48 cardinales, 23 patriarchas, 1500 episcopos, 600 archiepiscopos, 71 magistros sacri palatii, et innumeros doctores et scriptores, inter quos fulget ut sol inter stellas *S. Thomas Aquinas*. Religiosi hujus ordinis *Dominicani* appellantur à nomine fundatoris, vel *fratres prædicatores*, ab officio prædicationis, quod eis specialiter incumbit. In Galliis *Jacobitæ* dicuntur, à domicilio, quod habent Parisiis in platea *S. Jacobi*. Sub initio ordinis induebantur habitu canonicorum regularium, cui postea substituerunt vestem et caputium albi coloris; dum autem è domo exeunt, superinduuntur pallio et caputio coloris nigri; indèque in Anglia vocabantur fratres nigri ad distinctionem Carmelitarum, qui ibidem fratres albi dicebantur, à pallio nempè albo quo se tegunt è Conventu exeuntes.

potissimum venit observandum, hunc ordinem, qui in Galliis ortum duxit, indè ritus suos accepisse, de quibus nunc est agendum.

§. I.

Ab initio missæ usque ad offertorium.

I. CELEBRANS ingressus ad altare, discoöperit calicem, et vinum primò in illum effundit, deindè aquam signat, dicens: *In nomine Patris, et Filii*, etc., postea, inquit missale ordinis, *tantam quantitatem aquæ distillet in calicem, quæ facillimè tota possit in vinum converti* (1). Tum collocato calice in medio altaris, illum vestit et discoöperto capite descendit ex altari. Exorditur autem missam signo crucis, dicens: *In nomine Patris*, etc., deindè addit brevem confessionis formulam, *misereatur vestri*, etc., *absolutionem*, etc., sine cruce. Dicens *adjutorium*, etc., ascendit ad altare, inclinatus autem profundè, junctis manibus recitat *aufer à nobis*, etc., et sub illius conclusione *per Christum*, etc., format cum pollice dextro super altare signum crucis, moxque ibidem illud osculatur. Erectus, se signat, dicens: *In nomine Patris*, etc.

II. Dicit introitum absque sui signatione, et in cornu epistolæ *kyrie eleïson*. Si hymnus angelicus dicatur, accedit ad medium, et manus deponit in altare; dicens *Gloria in excelsis* eas ele-

(1) Hæc rubrica malè concepta videri debet physicis, qui solidâ ratione tenent solam vitem posse elaborare et coquere succum terræ in vinum: undè meliùs dicitur infundi vinum in calicem, ut omnia parata ad offertorium inveniuntur.

vat, et jungit sub *Deo* sine inclinatione. Postea accedit ad cornu epistolæ, et in missali legit *et in terra pax hominibus*, etc. (1) manibus junctis. Caput non inclinat sub *adoramus te*, nec se signat in fine. Post hymnum angelicum, vel si non dicatur, post *kyrie*, stans in cornu epistolæ, per suam dexteram se vertit ad populum, quem salutatur, dicens : *Dominus vobiscum*. Eâdem viâ, seu per suam sinistram ad librum reversus, manibus junctis, sed cum capitis inclinatione dicit *oremus*, et deindè more solito orationem. Si dicendum sit *flectamus genua*, utrâque manu partem casulæ anteriorem hinc et inde supra altare adaptans genua flectit, moxque se erigit. Cancellatis manibus, sic ut dextera ponatur super sinistram, iisque in altare vel librum depositis, legit epistolam, sub cujus ultimis verbis manus jungit ante pectus, ut sic legat graduale aut tractum, vel sequentiam. His finitis, transit ad medium, ubi capite inclinato, dicit : *Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ad pronuntiandum sanctum, evangelium pacis*. In cornu dextro altaris constitutus, et depositis manibus junctis in missale, dicit *Dominus vobiscum*; deindè sub *sequentia*, etc., cum pollice librum signat, tum se in fronte, ore et pectore, et deindè iterùm se majori signo à fronte ad pectus, et ab humero ad humerum. Postmodùm manibus junctis, et in librum depositis legit evangelium. In fine se signat à fronte ad pectus, et deindè cum pollice evan-

(1) Deficiunt multi ex dictis religiosis, qui hymnum angelicum et symbolum legunt in medio contra apertam rubricarum ordinis dispositionem.

gelium, quod osculatur, dicens: *per Evangelica dicta*, etc., in missis de *requiem*, et de tempore passionis omittit libri osculum.

III. Si dicatur symbolum, ut accessit ad medium, manus deponit in altare; dicens *Credo in unum* eas elevat, et sub *Deum* eas conjungit sine inclinatione. Post hæc redit ad librum in quo pergit legere symbolum manibus junctis, dicens *ex Maria Virgine*, accedit ad medium, flectitque genua addens *et homo factus est*. Redux ad librum absolvit symbolum absque signo crucis in fine.

§. II.

Ab offertorio usque ad canonem.

I. Post symbolum, vel si non legatur, post evangelium, celebrans redit ad medium altaris, se vertit ad populum, et dicit *Dominus vobiscum*, quo dicto, se transfert ad librum, ut legat offertorium; indèque lecto offertorio redit ad medium, ubi sublatis à calice velo et pallâ, demittit manus in altare hinc et indè; easque mox elevans, dicit: *quid retribuam*, eas conjungens, subdit *Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi*; tum accipiens calicem, dicit: *calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo*; tenens autem elevatum cum Hostia, et oculis ad Deum elevatis, facit oblationem his verbis: *suscipe, sancta Trinitas, hanc oblationem, quam tibi offero in memoriam passionis Domini nostri Jesu Christi, et præsta, ut in conspectu tuo tibi placens ascendat, et oblata deponendo prosequitur: ut meum et omnium fidelium salutem operetur æternam.*

II. Dexterâ calicem deponens, sinistrâ patenam apprehendit, et mox dexterâ simul eam tenens, ex illa Hostiam demittit ante pedem calicis; tum locatâ patenâ ad suâ dexteram pro parte subtus corporale, calicem pallâ coöperit, vel parte posteriore corporalis: salutatur deindè crucem, et vadit ad cornu epistolæ, ubi lavat manus, dicens: *lavabo*, usque ad *gloriæ tuæ*, id est, tres primos psalmi versiculos. Reversus ad medium profundè inclinatus, dicit: *in spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur, Domine, à te, et sic fiat sacrificium nostrum, ut à te suscipiatur hodie.* Addens autem *et placeat tibi, Domine Deus*, se erigit.

III. Hic monet missale ordinis celebrantem, ne digitis quibus tangere debet Sacramentum corporis Christi, tangat folia missalis, dum sunt vertenda, aut quidlibet aliud; proindèque id agere debet mediantibus aliis digitis. Resumendo jam ordinem liturgiæ, dictâ oratione, de qua suprâ, conversus ad populum, dicit, voce mediâ: *orate, fratres*, et junctis manibus perficiens circulum, secretò prosequitur: *ut meum ac vestrum pariter in conspectu Domini sit acceptum sacrificium.* Deindè voce pariter secretâ, dicit: *Domine, exaudi orationem meam*, et postea oremus ante primam et secundam (si detur) orationem secretam, jungendo sub verbo *oremus* manus, et mox eas aperiendo ad orationis recitationem.

§. III.

De canone usque ad orationem dominicam.

I. INCEPTURUS canonem se profundè inclinatur junctis manibus; ad hæc verba *ut à accepta habeas*, se erigit, et oblata signat tribus primis digitis extensis, aliis duobus contra palmam inflexis; et hunc modum servat in signationibus sequentibus. Signatis oblatis, prosequitur, manibus junctis, usque ad *communicantes*, quod dicturus manus extendit more nostro, usque ad *quam oblationem*. Ante utramque consecrationem, sub his verbis: *tibi gratias agens*, caput non inclinatur. Ante consecrationem calicis, in illum excutit digitos, et dicens: *præclarum calicem in sanctas*, apprehendit dexterâ calicem per nodum et sinistrâ per pedem. Dicens: *itemque tibi gratias agens*, elevat paululum calicem et oculos. Sub verbo *benedixit*, signatur vinum, et sinistrâ premit pedem calicis. Post elevationem sanguinis, calicem demittens, dicit: *hæc quotiescumque*, etc.

II. Dum recitat *undè et memores*, etc., brachia extendit, non perfectè in modum crucis, paulò tamen extra corpus. Signatur, more nostro, sub *Hostiam puram*, etc.; infra orationem *te supplices exoramus*, se profundè inclinatur brachiis cancellatis, sic ut sinistrum sit infra dexterum, seque paulatim erigit, dicens: *quotquot*; idque ut possit, brachiis adhuc cancellatis, osculari altare ad latus Hostiæ versùs cornu epistolæ sub his verbis: *ex hac altaris participatione*. In fine orationis, quæ incipit: *memento etiam*, etc., sci-

licet, sub his verbis : *per Christum*, jungit manus, sed absque capitis inclinatione.

III. Dicens : *nobis quoque peccatoribus*, vocem non elevat. Post hanc orationem signaturus oblata, tribus ultimis digitis sinistrae premit pedem calicis. Postea sub his verbis : *per ipsum*, etc., dexterâ tenens Hostiam, cum ea signat 1.º supra ostium calicis, dicens : *per ipsum*, 2.º intrâ labia calicis, dicens : *cum ipso*, et 3.º profundius intrâ cuppam, dicens : *et in ipso*. Addens : *est tibi Deo Patri omnipotenti*, signat, more nostro, inter se et calicem, sed ad aliud signum crucis retrahit sinistram à calice, eamque locat super corporale; dicens autem : *in unitate Spiritûs sancti*, signat, ut suprâ, ast inferius, id est, ante pedem calicis. Post hanc ultimam crucem Hostiam salutât inclinatione capitis, deindè eam deponit in corporale, et absque prævia calicis elevatione, excussis digitis in calicem, illum pallâ coöperit, moxque genuflexus Sacramentum adorat.

§. IV.

Ab oratione dominica in finem.

I. CELEBRANS dicturus *per omnia sæcula sæculorum*, manus planas in altare demittit, sicque eas tenet sub *oremus: præceptis salutaribus*, etc.; incipiens *Pater noster*, etc., eas elevat, et brachia extendit, quo in situ absolvit orationem dominicam, respondet in fine *amen*, et incipit : *libera nos, quæsumus*, etc.; dicens in hac oratione verbum *da*, sinistram in altare deponit, et dexterâ accipit patenam, quâ se signat in fronte, pectore

et humeris, addens *pacem in diebus nostris*. Deinde deponit patenam in altare extra limites corporalis. Sub his autem verbis: *et ab omni perturbatione securi*, calicem detegit, et Sacramentum genuflexione adorat. Erectus, accipit hostiam inter pollicem et indicem dexteræ, et firmans pedem calicis digitis ultimis sinistrae, transportat Hostiam ad ostium calicis; tum ope utriusque manûs dividit in duas partes æquales, dicens: *per eundem Dominum*, etc., et dum addit: *qui tecum vivit et regnat*, partem quam dexterâ tenet, transversim alteri supponit, moxque ex hac parte transversa, pollice et indice dextris particulam separat; sustinendo autem utramque partem sinistra desuper calicem, et dextrâ minorem, dicit: *per omnia*, etc., *pax Domini*, etc., ter signans, more nostro, cum particula minore. Postea tenens ambas manus supra calicem, sic ut particula minor sit unita aliis, ter dicit: *Agnus Dei*, quibus absolutis, particulam minorem demittit in sanguinem, dicens: *hæc sacra commixtio corporis et sanguinis Domini nostri Jesu Christi fiat mihi et omnibus sumentibus salus mentis et corporis, et ad vitam æternam promerendam atque capescendam præparatio salutaris. Per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.*

II. Finitâ oratione suprapositâ, tenens dexterâ manubrium calicis recitat orationem unicam, nempe *Domine Jesu Christi, Fili*, etc., cui subjungit brevem orationem mentalem, quâ seipsum Deo commendat. Tum inclinato capite, et dicto *corpus et sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiant me in vitam æternam*, de sinistra manu corpus

Christi sumit in communionem (1), moxque calicem tegit. Sumptâ Hostiâ, genuflectit, calicem detegit, dexterâ accipit calicem per manubrium, et sinistrâ per pedem, sicque sumit sanguinem in silentio: post primum haustum sinistram ad altare demittit, et alio haustu sumpto sanguine, excutit corporale in patenam, et particulas indè collectas ope manûs sinistræ immittit in calicem; deindè tenens calicem utrâque manu, recipit primam abluitionem ex solo vino, eamque sumit nihil dicens; postea secundam ex vino et aqua more solito apud nos, sed recitat aliam orationem sub illa, nempe, *quod ore sumpsimus*, etc.

III. Factâ communionem, calicem purificatorio abstergit, et deindè calicem vestit linquens subtus corporale post missam plicandum. Communionem et orationes dicit ritu Romano, exceptâ conclusione ultimæ orationis, quam facit redeundo ad medium altaris. Profundè inclinatus, dicit orationem *placeat*, eamque concludit his verbis: *qui vivis et regnas Deus per omnia sæcula sæculorum.*

(1) Hic ritus, quo Dominicani manu sinistra sumunt communionem, non est pœna alicujus criminis, prout falsò vulgus autumat, nam antiquiorem esse dicto crimine, quod patratum fuit 1 Augusti 1589, solidè probat *Matthæus Texte*, Dominicanus in conventu *S. Germani* Parisiis; 1.º missali manuscripto sæculi XIII, quod exstat in bibliotheca regis Galliæ, et in quo præfatus ritus præscribitur. Deindè ex alio, quod videtur apud patres Minimos Parisiis, et impresso anno 1556. Rationem hujus ritûs litteralem reddit citatus pater, dicendo hoc usu præcaveri periculo fragmentorum, quod subesset in translatione particularum de manu in manum. Deindè rem spiritualiter considerando, celebraus tenens dexterâ calicem, et sinistrâ Sacramentum, imitatur sponsum cantici canticorum, de quo scriptum est: *læva ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me.*

Amen. Sub quibus verbis se erigit, et deindè altare osculatur. Conversus autem ad populum, sine prævia manuum vel oculorum elevatione, signat populum ritu suprâ descripto Carmelitarum, dicens etiam cum iisdem *benedictio* etc. Evangelium *S. Joannis* legit Romano ritu. Post illud, ad medium reversus, calicem seponit versùs cornu evangelii, plicat corporale, et illud in bursam recondit; bursam verò locat in altari versùs cornu epistolæ; tum calicem apprehendit, et in medio altaris deponit, ac super illo bursam, quem parte posteriore veli pro parte saltem coöperit. Postea caput cruci inclinatur, ac deindè ambabus manibus capite tecto, accipit calicem, et redit, dicens canticum *Benedicite, omnia opera Domini, Domino, etc.*

Ad majorem Dei gloriam, et totius curiæ cælestis honorem, necnon ad augendam erga sanctissimum corporis et sanguinis Christi Sacramentum devotionem.

FINIS TOMI QUARTI.

INDEX

CAPITUM ET ARTICULORUM

IN HOC OPERE CONTENTORUM.

Pag.
5

PRÆFATIO *ad Lectorem.*

CAPUT PRIMUM.

<i>De nonnullis spectantibus ad sacram liturgiam.</i>	11
ARTICULUS I. <i>De præcipuis auctoribus qui in res liturgicas scripserunt.</i>	12
ART. II. <i>De libris liturgicis.</i>	17
ART. III. <i>De vocabulo missa, et varia missæ divisione.</i>	22
ART. IV. <i>De usu luminis.</i>	30
ART. V. <i>De usu thuris.</i>	34
ART. VI. <i>De campanis.</i>	38
ART. VII. <i>De præparationibus ad missam.</i>	43

CAPUT SECUNDUM.

<i>De cæremoniis missæ ab initio in finem.</i>	51
ARTICULUS I. <i>De principio missæ, seu signo crucis.</i>	ibid.

ART. II. <i>De psalmo : judica me , Deus.</i>	57
ART. III. <i>Explicatio psalmi judica me , Deus.</i>	61
ART. IV. <i>De versu adjutorium nostrum , et aliis usque ad ascensum ad altare.</i>	66
ART. V. <i>De ascensu ad altare usque ad introitum.</i>	74
ART. VI. <i>De introitu.</i>	79
ART. VII. <i>Kyrie eleison.</i>	85
ART. VIII. <i>De hymno angelico.</i>	87
ART. IX. <i>De salutatione populi et oratione.</i>	95
ART. X. <i>De epistola , graduali , tractu et prosis.</i>	101
ART. XI. <i>De oratione : munda cor meum , et evangelio.</i>	107
ART. XII. <i>De symbolo.</i>	117
ART. XIII. <i>De offertorio.</i>	125
ART. XIV. <i>De oblatione panis.</i>	151
ART. XV. <i>De oblatione calicis.</i>	159
ART. XVI. <i>De orationibus : in spiritu humilitatis , et Veni , Sanctificator.</i>	145
ART. XVII. <i>De lotione manuum et psalmo lavabo.</i>	147
ART. XVIII. <i>De oratione : suscipe , sancta Trinitas.</i>	155
ART. XIX. <i>De orate ; fratres , et secretis.</i>	158
ART. XX. <i>De præfatione.</i>	164
ART. XXI. <i>De canone.</i>	175
ART. XXII. <i>De prima oratione canonis : te igitur.</i>	179
ART. XXIII. <i>De secunda oratione canonis : memento.</i>	184

ART. XXIV. <i>De tertia oratione canonis : communicantes.</i>	189
ART. XXV. <i>De quarta oratione canonis : hanc igitur oblationem.</i>	196
ART. XXVI. <i>De quinta oratione canonis : quam oblationem.</i>	200
ART. XXVII. <i>De consecratione panis.</i>	205
ART. XXVIII. <i>De consecratione calicis.</i>	214
ART. XXIX. <i>De oratione : undè et memores.</i>	220
ART. XXX. <i>De oratione : Supra quæ propitio.</i>	225
ART. XXXI. <i>De oratione : te supplices.</i>	229
ART. XXXII. <i>De oratione : memento.</i>	254
ART. XXXIII. <i>De oratione : nobis quoque peccatoribus.</i>	259
ART. XXXIV. <i>De ultima parte canonis.</i>	245
ART. XXXV. <i>De oratione dominica.</i>	251
ART. XXXVI. <i>De sensu orationis dominicæ.</i>	257
ART. XXXVII. <i>De oratione : libera nos.</i>	265
ART. XXXVIII. <i>De oratione : agnus Dei.</i>	278
ART. XXXIX. <i>De tribus orationibus ante communionem.</i>	282
ART. XL. <i>De communionem celebrantis.</i>	290
ART. XLI. <i>De purificationibus.</i>	299
ART. XLII. <i>De antiquo ritu communionis fidelium.</i>	305
ART. XLIII. <i>De ritu moderno communionis fidelium.</i>	315
ART. XLIV. <i>De antiphona quæ communicatio dicitur, usque ad orationem placeat.</i>	321

ART. XLV. <i>De oratione : placeat, et benedictione populi.</i>	551
ART. XLVI. <i>De ultimo evangelio.</i>	558
ART. XLVII. <i>De sensu evangelii S. Joannis.</i>	544

APPENDICIS.

ART. I. <i>De ritibus Carthusianorum variantibus à Romanis.</i>	555
ART. II. <i>Liturgia Carmelitarum.</i>	565
ART. III. <i>Liturgia Dominicanorum.</i>	575

FINIS HUIUS TABULÆ.

APPROBATIONES.

LEGI librum, cui titulus : *Sensus litteralis , moralis , ac historicus rituum ac cæremoniarum missæ ,* à R. D. Tossano-Josepho Romsée , presbytero , sacrorum rituum in seminario episcopali hujus diœcesis professore conscriptum : nihil comperi , nisi quod sanum sit et orthodoxum : omnia ibi præclara , exquisita , et (quod in aliis ejus editis operibus de *Praxi celebrandi missam , ac Praxi divini officii* animadvertere est) cum sermonis brevitate ac facilitate magna rerum ubertas , quæ legentium illustret , et corda moveat : quare publica luce dignissimum censeo , et utilissimum , qui ab omnibus ecclesiasticis evolvatur diligenter , ut sacrosanctum missæ sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebrantes ad rerum altissimarum , quæ in tanto latent sacrificio , contemplationem excitent omnes Christi fideles. Dabam Leodii , hâc 20 Septembris. 1777.

H. N. MASSIN , *Pastor S. Michaëlis ,
Examinator Synodalis , et ad hujus Operis examen specialiter deputatus.*

PERMITTINUS reimpressionem. Leodii, hâc 22 Aprilis 1818.
J. A. BARETT , *Vic. Gen.*

PUBLICARI permittimus typographo nostro P.-J. HANICQ.
Datum Mechliniæ 4. Feb. 1830.
J. FORGEUR , *Vic. Gen.*